BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
13
8 G
27

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13.8.A.6

27
6

PETRI VELLEII GVEVARAE AD LEGEM primam Digeſtorum.
Libri VI.

EIVSDEM

Ad titulum de officio Præſidis commentarij.

De diffinitione Doli mali, liber ſingularis.



Cum Priuilegio.

SALMANTICAE.

Excudebat Matthias Gaſtius.

Anno. 1569.

Eſta taſſado en

EL REY.

POR quanto por parte de vos,el doctor don Pero Velez de Gueuara prior de la ygleſia mayor de Seuilla,nos fue hecha relació diziendo que vos auiades compueſto vn libro en derechos, partido en tres tratados: El primero ſobre el principio de la ley primera, de iuſtitia & iure:y el ſegundo ſobre el titulo de officio præſidis:y el tercero de Deli mali diffinitione,el qual queriades hazer imprimir, y nos pediſtes y ſuplicaſtes vos dieſſemos licencia y faculdad para que vos o quien vueſtro poder vuieſſe, y no otra perſona alguna le podays hazer imprimir eneſtos nueſtros reynos de Caſtilla,por el mas tiẽpo que fueſſemos ſeruido,o como la nueſtra merceà fueſſe,y nos acatandolo ſobredicho,y que el dicho libro ha ſido viſto y examinado por los del nueſtro cõſejo,y les ha parecido ſer obra vtil y prouechoſa lo auemos tenido y tenemos por bien, Porende por la preſente damos licẽcia y faculdad a vos el dicho Doctor don Pero Velez de Gueuara,para que vos o la perſona q̃ vueſtro poder eſpecial para ello vuiere,y no otra alguna puedan imprimir y vẽder el dicho libro en eſtos nueſtros reynos y ſeñorios de Caſtilla,ſiendo primeramente taſſado por los del nueſtro conſejo,el precio porque ſe ha de vender cada volumen,y poniendoſe el traslado deſta nueſtra cedula con la dicha taſſa,al principio del dicho libro,por tiempo y eſpacio de diez años primeros ſiguientes q̃ corran y ſe quenten deſde el dia de la fecha deſta nueſtra cedula en adelante:ſopena que qualquier perſona,o perſonas,que ſin tener para ello vueſtro poder lo imprimieren,o vendieren,o hizieren imprimir o vender,pierdan toda la impreſſiõ que hizieren y vendieren,y los moldes y aparejos dello,y mas incurra cada vno en pena de cinquenta mil marauedis por cada vez que lo contrario hizieren, la qual dicha pena,ſea la tercia parte,para la perſona que lo acuſare,y la otra tercia parte para el juez que lo ſentenciare,y la otra tercia parte para nueſtra camara y fiſco:y mandamos a los del nueſtro cõſejo,y a otras qualeſquier juſticias deſtos nueſtros reynos que guarden y cumplan,y hagã guardar y cumplir eſta nueſtra cedula,y lo enella contenido.Fecha en Madrid,a xij. dias del mes de Março,de mil y quinientos y ſeſenta y ſiete años.

Yo el Rey.

Por mandado de ſu Mageſtad.
Pedro de Hoyo.

DON Philippe por la gracia de Dios, Rey de Caſtilla, de Leon, de Aragon, de las dos Sicilias, de Hieruſalem, de Nauarra, de Granada, de Toledo, de Valencia, de Galicia, de Mallorcas, de Seuilla, de Cerdeña, de Cordoua, de Corcega de Murcia, de Iaen, de los Algarues, de Algezira, de Gibralrar, Duque de Milan, Conde de Flandres, y de Tirol, &c. Por quãto por parte de vos el Doctor don Pero Velez de Gueuara, prior de la ygleſia mayor de Seuillanos fue fecha relacion, diziendo que vos auiades compueſto vn libro en derechos, partido en tres tratados. El primero, ſobre el principio de la ley primera, de juſtitia & iure, y el ſegundo ſobre el titulo de officio præſidis, y el tercero, de Doli mali diffinitione: el qual era vtil y prouechoſo, y nos fue pedido y ſuplicado, vos mandaſemos dar licencia, para lo poder imprimir, o que ſobre ello proueyeſſemos, como la nueſtra merced fueſſe, lo qual viſto por los de nueſtro cõſejo, y como en el dicho libro ſe hizo la diligencia, que la pragmatica por nos agora nueuamente fecha diſpone: fue acordado, que deuiamos mandar dar eſta nueſtra carta para vos en la dicha razon, y nos tuuimoslo por bien. Por la qual vos damos licencia y facultad, para que por eſta vez podays hazer imprimir el dicho libro, que de ſuſo ſe haze mencion, ſin q̃ por ello cayays ni incurrays en pena alguna, y mandamos, que deſpues de impreſſo no ſe pueda vender ni venda, ſin que primero ſe trayga al nueſtro conſejo, juntamente con el original que en el fue viſto, que van rubricadas todas las hojas y firmado al fin del, de Iuan Fernandez de Herrera nueſtro eſcriuano de camara, de los que reſiden en el nueſtro conſejo: para que ſe vea ſi la dicha impreſsion eſta conforme al original, y ſe os de liceñcia, para lo poder vender, y ſe taſſe el precio, a que ſe ouiere de vender cada volumen: ſopena de caer e incurrir en las penas contenidas en la dicha pragmatica y leyes de nueſtros reynos: y no fagades ende al. Dada en la villa de Madrid, a tres dias del mes de Março, de mil y quinientos y ſeſenta y ſiete años.

El Licenciado Diego de Eſpinoſa.	*El Licenciado Menchaca.*	*El Doctor Durango.*
El Licenciado Pero Gaſco.	*El Licenciado Fuen Mayor.*	*El Licenciado Iuan çapata.*

Yo Ioan Fernandez de Herrera, eſcriuano de camara de ſu Mageſtad, la fize eſcriuir por ſu mandado, con acuerdo de los del ſu conſejo.

LVDOVICVS CAESAR IVris ſtudioſus, de optimo genere iuris interpretandi, Ad Lectorem.

NON dubito ſanè plurimos futuros (curioſe lector) qui vel audaciam meam reprehendant, vel temeritatē criminentur, quòd cùm ingenio nihil valeam, & ſtudia iuriſprudentiæ leuiter attigerim, illud mihi de me ipſo polliceri audeam, vt in tanta ſcriptorum varietate, ac infinita penè multitudine, facturum me certum de ſingulis iudicium, & optimam iuris interpretandi rationem cōſtituturum eſſe arbitrer. Sed cùm ego tam parum mihi tribuam, quàm quod non debeat vllus alius, licèt inuitus denegare, & animum meū non induxerim, vt parem operi me tanto confidenter exiſtimem, nec aliquibus eorum calumnijs, aut maledictis perturbari, nec ab eo propoſito dimoueri potero, quo ſi minus fortaſsè ſtudioſis profuero, meam ſaltem in eos voluntatem teſtatam apud omnes relinquā. Non enim auribus meis ita blandior, vt audire, faterìue pigeat, reperiri non paucos, qui cùm longo docendi vſu, & eximia iuris co-

gnitione maximum nomen cōparauerint, & æternam pro feliciſsimis laboribus poſteritatis memoriam mereantur, ſuſcepti à me muneris partes melius obiÿſſent, & huiuſmodi ſtudium ingredientibus facilem viam demonſtraſſent, quam ſi ſemel inſtitutam tenere pergerent, aberrare nullo modo poſſent. Verùm neſcio quo malo Reipub. literariæ fato accidiſſe dicam, vt cùm grauiſsima de iuris interpretibus controuerſia magnorum virorum iudicia multos iam annos exercuerit, nullus adhuc è noſtris extiterit, qui ſuam authoritatem interponeret, qua veterem tandem contentionem dirimeret, ne ſi eſſet ad longius duratura tempus, expectatos nouæ iuuentutis in literis progreſſus interim poſſet remorari. Cum autem hoc in dies magis ſingulos antè meos oculos obuerſaretur, & viderem ſapientiſsimos homines (quales habet hæc Salmanticenſis Academia plurimos) ſiue curis grauioribus obſtrictos maiora moliri, ſiue pàrtium non id eſſe ſuarum diuturno ſilentio declarare, opportunam ſcribendi nactus occaſionem tale cepi conſilium, vt de re, quæ per ſummam pertinaciam ſatis eſſet iam multis agitata clamoribus, dicerem ea, quæ ſentirem. Quo igi-

tur

tur altius ordiamur, & ab Edicto Iuſtiniani de confirmatione Digeſtorum repetamus initium, præſagiebat iam inde animus Imperatoris futurum, vt ſi verboſis multorum commentarijs ad leges Populi Romani, vel minimus aditus pateret, et ſuas de illis opiniones cuiuis liceret diuulgare, maiori multò, quàm antea, cõfuſione miſcerẽtur, quæ dedecus aliquod perpetuum eſſet eiſdem allatura. Quod cùm ille de ſtatu rerum futurarum, vtilitateq; publica ſolicitus ſingulari prudentia prouideret, & præteriti temporis recordatus licentiam vereri cæpiſſet, ne tanta voluminum mole ciuile ius obrueretur, quanta quondam Prætoris Edictũ ex omni parte premebatur, lata lege ſanciuit, vt nullus aliquas in poſterum interpretationes legum faceret, ſed aut titulorum breuiſſimè, qui vellet, argumenta perſtringeret, aut in Græcum, ſi mallet, illas ita conuerteret, vt verbum pro verbo redderetur. Si qui non obtemperaſſent, contráue legem commiſiſſent, falſitatis reos appellari voluit, & in tenebris iuſſit ſempiternis libros ipſorum ſepeliri. Cuius equidem promulgatione tanta mentibus hominum eſt iniecta religio, vt diu omnes in officio cõtinentiſſimè permãſerint,

nec tam proteruus vllus memoretur, qui Juſtiniani voluntati non paruerit, & antiquius eſſe nō putauerit, iuſtiſsimis eius præceptis non repugnanter obedire, quàm aliquam nominis celebritatem editione librorum aucupari. Procedente tamen deinde tēpore (tametſi de authore ſatis nō conueniat) Baſilij Macedonis induſtria, aut Conſtātini Porphyrogenetæ diligentia, aut Leonis philoſophi conſilio, aut cōmunibus magis eorum auſpicijs in publicum Baſilicus prodiuit, qui doctrinā iuris vniuerſi ſexaginta libris ita continebat, vt obſoletis iam legibus exploſis, et nouis inſuper aliquot adiectis, quæ per diuerſa nimis loca de rebus eiſdē Juſtinianus diſperſerat, ſub vno ſimul aſpectu diſtributione certa ponerentur. Verū illud affirmare nō auſim, abrogata nè prius cōſtitutione Iuſtiniani, an ſcientibus id, atq; volētibus ipſis imperatoribus, tot eruditi poſteà Modeſtini, Calocyri, Thalelæi, Leones, Jſidori, Calliſtrati, Theophili, Doxapatres, & Eudoxij Baſilicum ſcholijs illuſtrauerint, abditiſsimaq; iuris myſteria, cōmentarijs ſuis aperuerint. Eruantur vtinā ex obſcurà caligine iam eorum opera, nec in noctis diutius vmbra iaceāt, ſed clariſsimam hanc lucem ſtudiorum aſpiciant, &

quaſi

quaſi longam perpeſſa ſeruitutem poſtliminio breui reuertantur. Antiquiſsimos itaq; iuris interpretes Græcos apparet extitiſſe, quorũ tenues aliquas reliquias, & illas quidem intermortuas, doctorũ hominũ afflatu paulatim videmus ſuſcitari, nec deſperandum erit fore, vt qui per temporum vim, & iniuriam, è manibus fuerãt ſtudioſorum erepti, non mutili iam eiſdem, ſed integri, propediem reſtituantur. Haud paucis etiã poſt annis iuri ſe ſe ciuili Latini dediderũt, et pacatis rebus Italiæ, quæ continuis Longobardorum & aliarũ gentiũ incurſionibus ante vexabatur, Iuſtiniani legibus addiſcendis operam ſuam, atq; ſtudium diligentiſsimè nauarunt. Cæterùm primus inter omnes, imperante Friderico Aenobarbo, non exigua iuriſprudentiæ laude celebratus Irnerius cõſtitutos à Iuſtiniano terminos ſuo loco mouit, & dũ omnibus illis gratificaretur, qui ciuili diſciplinæ ſe iam totos addixerant, fines legitimos tranſgreſſus, facem quandã locis obſcurioribus expoſitione ſua prætulit, & epitomen Nouellarum cõpoſuit, vt varijs eas facilius (quando ratio rerum poſtularet) Codicis titulis insereret. Tantam verò Iuriſconſultorum copiam ætas illa prior repentè profudit, vt in ea

poſtmodũ multos Hugulinos, Boſianos, Bulgaros, & Martinos inuenias, nec Columbos, Barnerios, Rillianos; & Faſolos diſideres, plures quoq; Placentinos, Aldericos, Azones, & Rofredos enumeres, qui vel iura ſolùm publicè profeßi non vulgarem eruditionis opinionem de ſe concitarunt, vel relictis inſignibus literarum monumentis memoriam ſui non ingratam poſteris ſuis prodiderunt. Hos omnes deinceps inſequutus Accurſius, perpetuas ad ius ciuile notas ea cura perſcripſit, vt qui libris vſus aliorum bonam operis partem cõcinnauerat, & ex lucubrationibus alienis, vel clàm, vel precario multa ſumpſerat, ſplendori maiorum ſuorum dẽſißimas nebulas offuderit, & nominis ſui claritate famam eorum obſcurauerit. Cui profectò poſtea reliqui ſcriptores tantum honoris detulerunt, vt in ipſius verba ſinguli ex animi ſentẽtia iuraſſe videantur, & in veſtigijs eius odorandis haberi velint ſagaciſſimi, nec quoquã pedem ille conuertat, quò pariter ipſi non accurrant. Poſtquam autem feliciora nobis illuxere iam ſecula, quæ politioribus literis ornatos Iuriſconſultos attulerũt, non defuere quidam inter eos, qui miſerrimũ exiſtimantes Accurſij nutum ſemper intueri, quos

vt homines

vt homines ſeruilis conditionis, & arbitrio ſuę penitus carentes, probroſo cognomine notare voluerunt, Accurſianos nuncuparunt. Non tamen ſatis illis fuit, hac eos nota compunxiſſe, niſi libros etiam ipſorum ita deriderent, vt perſuadere cunctis niterentur, ne ſibi tales imitandos authores proponerent, quos cum tanta temporis iactura ne legendos quidem iudicarent. Bonarum etenim artium atque linguarum imperitos, & latinè potiſſimum omnino neſcientes, iuriſprudētum veterum oracula, ſumma quadam orationis elegantia, proprietateq; verborum edita, interpretari poſſe negauerunt. Quòd ſi de illa ſolùm iuris interpretatione loquantur, quæ numeros omnès in ſe habeat, & nihil in ea criticus requirat, ſi boni neminem & æqui cumulatam notitiam habiturum intelligant, qui non ſe prius liberalibus diſciplinis imbuerit, & vim ita latini ſermonis, & naturam cognouerit, vt illorum omnium reſponſorum, quibus ea tota continetur, momenta leuiſſima perpendat, non erit cur eis non aſſentiar: cùm his ornamentis denudata ciuilis prudentia, barbara potius, & inculta, quàm politica debeat iudicari. Verùm ego me herculè non video, cur ab

eis

eis ad exactiſsimam normam Iuriſconſulti dirigã tur, aut libros aliorum tam moroſe faſtidiant, vt legendi moleſtiam deuorare nõ poſſint, ſi quædam non inſit in dictione ſuauitas, nec aures eorum delicatas orationis numerus demulceat, cùm rerum ſciant humanarum conditionem non pati, in omnibus aliquem artibus pariter excellere, & virum eruditionis cõſummatæ cogitatione magis fingere, quàm oculis liceat intueri. Quid enim eſt cur admiretur quòd in prima velut ætate cõſtituta iuriſperitia balbutiret, et adhuc in cunis infantula minus articulatè loqueretur? Aut quid ſuos ita grauiter maiores reprehendunt, quòd magnis temporum difficultatibus afflicti, & ab omni ſtudio literarum in varias curas & cogitationes diſtracti, diſertiores non fuerint, & in tanta vitæ perturbatione dicendi arte nõ præſtiterint? Honeſtiùs vtiq; feciſſent ſi durioris illius ſeculi calamitatibus condolerent, quàm barbariem eius vlli cõtumelioſiùs exprobrarẽt. Vereor nanq; ne ſi conuerſo rerum ordine in tempus illud incidiſſent, infantiores illis multò fuiſſe nobis viderentur. Quis præterea tàm erit effrenatus, qui maledicendi licentiam nõ comprimat, cùm animaduerterit, quantũ illis antiquis

patribus poſteri omnes debeamus, quòd cũ triſtiſsimum iuſtitium turbulenti bellorum tumultus in longiſsimos annos indixiſſent, intermiſſa ſtudia reuocauerint, iacẽtem legum diſciplinam erexerint, & ad laudem ipſius cõparandam exemplo nos ſuo cõcitauerint? An propterea ſummis illos ingenijs natos eſſe negabimus, quòd ornata parum eorum ſit oratio, licet ad ſenſus Iuriſconſultorũ abſcõditos, et penitus abſtruſos penetrauerint? An verò magis hoc eorũ acumẽ cõmẽdat, cùm aliter eò peruenire non poſſent, niſi vitium illud linguæ perſpicaci iudicio compenſaſſent? Nunquid ſunt in iure ciuili omnia in tanta verborum controuerſia poſita, vt qui vires eorum ignorauerit, à publicis meritò gymnaſijs cum dedecore procul repellatur? Ita ne tandem antiquitatis cognitionẽ ſingula deſiderãt, vt qui rerum non vltimam memoriã præteritarũ recordetur aditu debeat Pandectarum ea ſola de cauſa prohiberi? An nõ ita multa ſunt huiuſmodi, ſed pauca quædã, & illa quidem talia, quæ vel ex his eiſdem libris ferè poſsint intelligi, vel ſciẽtia legum ſine illis vndiq; ſolida conſiſtat? Nõ diſsimilem temporum habet excuſationem quod eiſdem de non ſeruata methodo docendi iuris obiecerunt.

Cum

Cum enim artes vniuerſæ miſerabili caſu cõcidiſſent, & de priſtinæ ſuæ dignitatis faſtigio grauis eas ruina deturbaſſet, Dialectica etiã ſimul corruit, quæ tractandarum rerum ordinẽ cæteris omnibus præſcribit: nec tamen id eorum culpa, ſed ætatis videtur illius accidiſſe. Quin etiã bonã eius partẽ Tribonianus ſuſtinuit, qui cùm prudentiæ veteris volumina mẽbratim diſcerperet, et ex pluribus vnum quaſi corpus componeret, pauciſſima ſuo loco poſuit, ſeriem rerum perturbauit, diſiuncta maximè permiſcuit, colligata diſſoluit, & aliud cum alio tam malè cõiunxit, vt quod erat ad caput affigendum, in pedes interdum mõſtroſe reiecerit. Poterunt etiam eo crimine ſummo iure (ni fallor) liberari, quòd de generibus non ſemper vniuerſis, ſed de minimis rebus ſigillatim plerunq; diſputetur, quæ cùm infinito multiplicatæ ſint numero, coaceruari quidem omnes ſine diſcrimine faciliùs, quàm vel vlla queãt certa lege diſponi, vel aliqua methodi ratione comprehendi. Ex hac autem confuſa varietate, & rerum difficili multarum ad diſtinguẽdum ſimilitudine, dandàm quiuis noſtris interpretibus veniam iudicabit, ſi quæ ſuaptè ſunt natura nimis complicata, nõ ſatis euoluerint, ſi multiplicis,

& latiſſimè

& latiſsimè patentis diſputationis ordinē peruerterint, ſi quædam non parum neceſſaria properantes omiſerint, ſi cùm in diuerſas eiuſdē ſententiæ ſanctiones incurrerent, nec varijs ſolummodò temporibus, ſed etiam locis inſeruirent, eadem ſæpius inculcauerint, & in iuris ſalebris hærētes aliena non nunquam à propoſito diſceptationibus intulerint. Quāobrem liberiùs iam in eos, ſicut in nugatores inſultantes, præſtigiarum illos crimine poſtremùm accerſunt, & eo nomine grauiter accuſant, quòd ſophiſticis quibuſdam argutijs inueteratas multorum opiniones euertendas putauerint, vt iuſtitiæ vanis imaginibus, et inanibus vmbris æquitatis adoleſcentum oculis illuderent, & imperitæ multitudini fallaciſsimè ſeſe venditarent, intentiſsima voce perſonantes, quod omnibus eſſet inauditum, & in mentē alicui non veniſſet. Induci tamen ad credendū ego minimè potero, tā deprauatis aliquem eorum extitiſſe moribus, aut gloriolæ cupidum præſentis, duraturam diutius apud poſteros famam tam leuem exiſtimaſſe, vt obuiam ire veritati ſcienter maluerit, quàm dogmatibus aliorū acquieſcere, vel ineptias ſuas potius, fuco quodam illitas puerili, ludibrio temporū exponere, quā

 in falſis

in falſis ſententijs refutandis (quas probabiliores eſſe veris interdum experimur) ingenij vires oſtentare. Quòd ſi hominum inter ſe de rebus omnibus adeò diſcrepant iudicia, & tam admirabiles apparent animorũ diſsimilitudines, ut alteri nullus omnino conſentiat, cur non hãc opinionum repugnantiam ad humanam naturam libentius referemus, quàm eorum petulãtiæ tribuamus, qui ſine ſtudio contradicendi (quantum de iuſtitiæ ſacerdotibus iudicare poſsumus) quid eſſet verius indagãtes, negotium ſibi cõmendatum fideliſſimè procurarunt? Nũquid hominis ingenui non tam eſſe videbitur, à cõmunibus toties inſtitutis diſcedere, quoties efficax illud ratio perſuaſerit, quàm illiberalis, & captiui, tãtum authoritate cõmoueri, vt quod iuſto ſacramento falſum eſſe contenderes, idipſum inuita Minerua veriſſimũ debeas affirmare. Illis ne vocibus grauiſſimè liberæ non aures offenduntur, cùm aliquid verius eſſe audiunt, ſed in iudicijs & conſultationibus quod falſius ſit eſſe probandũ? Num qui ſimiles quaſdam alias diſputando non ſemel excitarunt, nouarum interpretationũ amãtiſſimi, an veterum contrà ſectatores habebuntur miſerrimi, quòd veris receptas prætulerunt? atqui

eas

eas huius claſſis authores, quæ tanti ſine culpa maleficÿ contraxit infamiam, ita frequenter vſurparunt, vt ſi reos ipſos peregiſſent, quòd in maximis aliorum erroribus nimium conniuerent, & capitibus obuolutis præeuntium greſſus ſequerentur, habiturus fortaſsè non fuiſſem, quid illis ad ea reſponderem. Verùm hoc eò ſanè non dixerim, quia vulgaribus præceptis eruditorum conſenſu confirmatis, in cauſis præſertim controuerſis, adhærendum ſemper eſſe non cenſeam: ſed quòd ſuis laboribus plerunq; tantopere diffidant, vt ſi cũctis aliquid ſuffragÿs approbatum inuenerint, non eis ſolùm apertè refragari, ſed ne hiſcere quidem audeant. Quin eadem illa iuſtiùs actione, cum his Iuriſconſultis iunioribus antiqui poſſent experiri, ne cõtra eos dicam obtinere, cùm nouis rebus maximè ſtudentes, tam diuerſam ab omnibus ſectam ſint ſecuti, vt non vnam eandem cum cæteris, ſed diſsimilem aliam profiteri iuriſprudentiam videantur. Nec ideo tamen (ſi me aliquis audiat) conatus eorum paruipendere, ſed magni debemus æſtimare, quod ſpinas in iure ciuili barbarie temporum enatas conuellendas curauerint, & faciem eius hactenus deformem, quam adumbratam ſolùm videba

 mus,

mus, nitori ſuo reſtituerint, & viuis coloribus expreſſerint. Quòd enim illius naſcentis initia, & ſemina prima legũ antiquarum, obliuione vetuſtatis obruta in noſtrum aſpectum protulerũt, & fontes nonnunquã rerum intuentes diductos nobis inde riuulos certius multò demonſtrarunt, quòd ad cauſas maioribus incognitas in ipſis principijs latitantes, digitos ſuos intenderũt, vel ingenijs longius proſpiciẽtes opinionibus nouis abũdarunt, vix erit vt non ſemper illis gratias immortales habeamus. Nam illud quidem genus hominum (vt leuiſſimè dicam) ferendum non arbitror, qui literarias aliorum poſſeſſiones latenter inuadunt, imò luce palàm, & in oculis omnium impudenter diripiunt: qui plumis furtiuis exornati procedunt in publicum, & libros alienos compilantes, multas paginas implent, cùm tamen de ſuo nihil afferant: qui brocardicis (vt appellant) ſeſe nimis ingurgitant, & importunè multa blaterant: qui præ ſe cæteros homines non putant & interpretes omnes ſuperaſſe magnificè ſe iactant, ſi quæ fuerunt à veteribus in vno loco poſita, in alium minus idoneum, licet inuita, tranſtulerunt. Nec eos inſuper omittam, qui tantum temporis & operæ

recenſendis

recenſendis nominibus authorum impertiunt, vt laboris & diligentiæ ferè nihil in aliam rem inſumant, & illi ſe curæ totos mancipent: qui nihil eſſe magis glorioſum exiſtimant, quàm alicuius vti teſtimonio, quem de nomine reliqui non nouerint, ſiue (quod ego valdè ſuſpicor) vt cauſidicum formularium, & imperitum leguleium, vel ineptum rabulam contempſerint. Tam alienum enim à Iuriſconſultorum inſtituto, quos habere præ oculis nos deceat, id fuiſſe conſidero, vt in cauſis quibuslibet contentione pleniſsimis, vnum aut alterum laudauerint, nec locos omnes aliorum, quibus partes eaſdem defenderunt, diligenter excuſſerint: quaſi veritas non authoritatibus, ſed rationibus eſſet exquirenda. Ne videar tamen hoc alicui nimis ad viuum reſecare, non negauerim iuris interpretibus, vt quod acceperint ab aliquo, debere ſe potius illi fateantur, quàm ſilentio turpiſsimo diſsimulent: modò non in hanc curam potiſsimum incumbant, ſed vim prius & legum poteſtatem tota mente percipiant, & neruos ſuos omnes in hoc vno contendant, in quo quidem ſolùm magni Papiniani, Scæuolæ, Pauli laborarunt. Verùm eſto,

*demus antiquioribus, vt aliquã laudem cõſequã-
tur, quòd plures vndiq; teſtes concluſionum ſuarũ
colligentes, in multiplici ſaltem, & aſsidua ſe lectio
ne librorum occupatos oſtenderint. Num eadem,
obſecro, fraudari nos indignè putabimus, quibus
indices locupletiſsimi, quos domus ampliſsima vix
capiat, turbam eorum non exiguam momento tẽ-
poris ſuppeditant? Ego ſanè (ſi verũ fatear) nihil
eſſe arbitror cur moleſtè feramus. Vnde fit vt illis
iam omnibus ſcribendi occaſionem ſublatã intelli-
gã, qui tam inerti velint diligẽtia vulgi rumuſcu-
los venari, cum gloriæ nobis ſegetem vberrimã ci-
uilia ſtudia propoſuerint, quã acutis ingenij ſimul
& iudicij falcibus hodie demetamus. Habes igitur
(lector optime) iam expoſitas cauſas, quibus anti-
quis iuniores ſuccenſeant, & cõuitijs eos proſequã
tur: illas modò, ſi placet, videamus, ob quas hi quo-
que malè audiãt, & impoſitas veteribus iniurias,
aut alias etiam grauiores ab illorum imitatoribus
cogantur alterna vice ſuſtinere. Cùm enim ani-
maduerterent floſculis eos orationis, & ornatu di-
cendi deliniri, & iniquo animo paterentur iuris ci
uilis cognitionem in tantas compelli verborum an-
guſtias, & ad angulos literarũ reuocari, ne cogno-*

minis

minis eius viderentur immemores, quod ab Accurſio, quem ducē inſequuntur, nō parum (vt putāt) honorificū traxerūt, nêue non mutuā illis gratiā cumulatiſſimè referrent, quaſi nomine Iuriſcōſultorū indignos, grāmaticos appellarunt. Quāuis autem ſuis illum laboribus finē propoſuiſſent, & omnes eorum cogitationes in eo duntaxat vigilaſſent, vt multis diſtincta margaritis, & ſplendore verborum illuſtrata niteret oratio, quæ non ad aliquam ciuilis philoſophiæ vel minimam partem pertineret, non ideo tamen ego tàm ſordido vocabulo, ſed honeſtiori quodam alio, Rhetores ipſos nominarem. Sin collapſam olim legum maieſtatē, admirabili dignitate ſermonis hodierno iā die conſtitutam, eorum beneficio retinemus, abeſſe non poterit, quin aut palàm illos Iuriſconſultos, aut Iulianum, Marcellum, & Pomponium nuncupemus grammaticos, quòd barbarè nihil pertractarunt, ſed ornatè de rebus omnibus, eleganter, & latinè ſcripſerūt. Quid? tam alienamne aliquis à Iuriſconſultis iudicabit grammaticam, vt turpe putet illam didiciſſe, qui legerit Antiſtium Labeonem ea maximè vſum, cum difficiles nodos expediret, latinarumq́; vocū originibus cognitis, et rationibus

earum exploratis,pleraſq; iuris quæſtiones, pluribus laqueis irretitas feliciter ſatis extricaſſe? Neget ne vllus eloquentiam iuriſperitis eſſe neceſſariam,qui P. Craſſum,illum diuitem,viderit multum commendari, quòd P. Scæuolæ fratri ſolitus ſit perſæpè dicere, nequaquam eum in iure ciuili, ſatis illi arti facere poſſe,niſi dicēdi copiam aſſumpſiſſet? Mirarer vtiq; magnopere ſi non eruditione latina vehementer offenderentur,cùm eoſdem pariter homines vituperent, quòd ad iuris ciuilis diſciplinam, Dialecticam addiderunt. Quam ſanè ſi(quod grauiter patiar) cum Epicuro contemnāt, & in ea diutius opinione permaneant,illa ſaltem,quæ docuerint,velle videbūtur, vt arte nulla diſtinguantur. Verùm Ser. quidem ille Sulpitius eorū errorē facilè redarguet, quē nō modò cæteris magnis Juriſconſultis,ſed & Q. Scæuolæ pontifici Ciceronis iudicium antepoſuit, quia magnus tantùm apud alios iuris vſus fuiſſet,& artem hic ſolus eſſet conſequutus:quod ſcientia iuris proculdubio nunquam effeciſſet, ſi Dialecticam cum ea vinculo nullo copulaſſet. Nec ſi ſcioli quidam, & garruli ſophiſtæ toto foro volitent, & elenchis quibuſdam captioſis ignorantes decipiant, Dialectica

lectica culpam conqueremur, quæ fallaces potius euitare concluſiunculas doceat, quàm leuibus illis, & vanis argumentis veritati reſiſtere: niſi pariter omnes diſciplinas, & in primis iuriſprudẽtiam reprehendendã cenſeamus, quòd ea plures abutantur. Omißis ergo iam criminibus, quæ pudeat reos inficiari, quòd meritò de illis glorientur, ad illud demum veniamus, quod eius accuſationis, quam intendunt, capite tertio continetur. Authoritatem enim aiunt iuris ſacroſanctam, violentis eorum, & impuris manibus magis quotidie violari, dum ſingulis legibus ad libitum vel addunt aliquid, vel detrahunt, plurima mutant, & inuertunt, integras crudelißimè ſententias ſuis interpunctionibus dilacerant, atque fide paſſim (niſi mauis perfidia) veterum librorum, editionem vulgarem penitus corrumpunt. In quo tamen (vt vno verbo agam) nec illis aſſentior, qui nihil in iuris ciuilis volumina multorum ignorantiæ, ſeu temporum temeritati licuiſſe credentes, impreſſorum ſe codicum religione liberare non poſſunt, quaſi nihil abſit, vel ſuperſit: nec illis item obſequor, qui leuiſſimis ſæpius coniecturis, à communibus exempla-

ribus diſcedunt: cùm & illud ſuperſtitionis, & audaciæ ſit hoc & confidentiæ. Sed ſi ſuppetat vlla firma ratio, quæ locum aliquem mēdoſum legendum aliter admoneat, ſi verba ſatis non cohæreant, nec certus ex illis ſenſus aliquis conſtet, quem æquitas ipſa non repellat, & lapſum facilem librarij, vel ex ſimilitudine dictionum, vel ex alia probabili cauſa poſſit vllus oſtendere, laudabo primus hominis ingenium, ſicut & illos reprehendam, qui ne ſe aliquid neſcire fateantur, typographi vicio ſuā inſcientiam ineptiſſimè ſolent excuſare. Verumtamen illud ego vnum ab his interpretibus deſidero, quod eò minus in eis eſſet requirendum, quò facilius præſtare potuiſſent. Nā cùm ab alijs diſſidentes aliquam nouam opinionem animis noſtris intulerūt, ego maximè vellem, vt errorem antè omnia nobis penitus inſitum, ratione conuellerent, & eius radices extirparent, ne veritas vepribus, & ſpinis ſuffocata parum efflore ſceret, & vel ex ea nullos fructus, vel tenues & exiles caperemus. Vtuntur etenim antiqui Iuriſcōſultorum teſtimonijs, cùm quid conſtanter aſſeuerant, & eorum reſponſis ſe tuentur, quæ ſi non perperam intelligant, iure non poſſunt reprehendi: ſin illa quandoq; non percipiāt,

ſine

ſine cenſoria præteriri notatione nō debent, vt à veri contēplatione, nec eorū argumentationibus, nec authoritate diſtrahamur. αἱ γὰρ τῶν ἐναντίων ἀποδείξεις, *(vt Ariſtoteles eſt author)* ἀπορίαι περὶ τῶν ἐναντίων εἰσίν. ἅμα δὲ καὶ μᾶλλον ἂν εἴη πιστὰ τὰ μέλλοντα λεχθήσεσθαι, προακηκοόσι τὰ τῶν ἀμφισβητούντων λόγων δικαιώματα. *Contrariarū enim, inquit, opinionum argumenta, dubitationem afferunt contrarijs. Illis præterea, quæ dicentur, multò maiorem fidem adhibebunt, qui prius audierint attētè, qua cauſa potiſſimum æquitate nitantur, illi qui nobis obloquuntur. His ille multum perſuaſus, cùm de primis agit naturæ principijs, & motum, tempus, infinitum, atque locum definit, cùm ortum, & interitum mundi mira diſputatione perſcrutatur, & primā exquirit rerū cauſam, ab hominum ſenſu remotiſſimam, Parmenidem expendit & Meliſſum, Anaxagoram, & Democritum notat, Hermotimum, Hipponem, & Heraclitū arguit, Diogenem, Thaletem, & Heſiodum libenter auſcultat, Leucippū, Anaximādrum, & Pythagorā audire nō grauatur, Cratillum, Alcmæonem, & Hippaſum æquis auribus percipit, Empedoclem, Timæum, & Xenophanem differentes admittit, Platonem & Socratem diligenter attendit, & plures item alios nomi-*

natim inſimulat, quos facile poſſemus numerare. Cuius equidem exemplo non inſcitè nos philoſophabimur, ſi primũ, quæ veteres authores inuenerint, proferamus in medium, ὅπως τὰ μὲν *(vt ille ait)* εἰρημένα καλῶς λάβωμεν, εἰ δέ μή τι καλῶς τοῦτ' εὐλαβηθῶμεν. *Vt ea, inquam, amplectamur, quæ dixerint ſapienter, ſi quid verò non item, hoc ipſum caueamus.* οὐ μόνον γὰρ *(vt alibi teſtatur)* χάριν ἔχειν δίκαιον τούτοις ὧν ἄν τις κοινωνήσαι ταῖς δόξαις, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔτι ἐπιπολαιότερον ἀποφηναμένοις, καὶ γὰρ οὗτοι συμβάλλονταί τι. τὴν γὰρ ἕξιν προήσκησαν ἡμῶν. *non ſolùm enim, ait, his habendæ ſunt gratiæ, quorũ quis opinionibus conſenſerit, verùm illis itidem, qui aliquid, quãuis leuiter probabile enũtiarũt. Nã et hi nos in eo adiuuãt, quod ingenium noſtrũ acuerunt. Cùm multos prætereà grauiſſimos philoſophos in vaniſſimis ſomnijs enarrandis, maximè verò refellendis, nõ parũ cõſtet cõmorari, nec minus ſummos Iuriſcõſultos, aliorum perſæpè confutare ſentẽtias, in ciuilibus libris obſeruemus, arrogantiæ ſuſpicionẽ non vitabimus, ſi nos eã curã negligamus, & adeò noſtra nobis placeant, vt & aliena cuncta ſordeant, & illos, quos nõdum audiuimus indicta cauſa condẽnemus. Quare (lector) ſi tam bono ſis animo, & ita natura cõparato, vt humiles nunquã in te cogitationes patiatur obre*

pere,

pere, ſed te te tollas altius, & rerum faſtigia conſectēris, ſi laudibus iuriſprudentiæ nō mercenariæ delectaris, & ad primos honores conſequendos aſpiras, quod in vtriſq; iuris interpretibus videbitur optimū aptiſſimè cōiunges, & ab alijs alia mutuaberis, vt ſi quid in antiquorum deſideres doctrina, quod aſſequi difficillimis tēporibus librorū penuria nequiuerunt, nouis ipſe ſuppleas iuniorū inuētis: quod autē his deeſſe ſenſeris, ab illis petas, quorum occaſione conſultò fortaſſis omiſerunt. Quòd ſi multos tui nō diſſimiles liceat nobis reperire, qui barbariem nimis execrentur, atque magno bonas omnes literas amore complectantur, qui ſordidam exuant veterum lacernam, & purpuram induant aliorum, nec vllam ſe iam excuſationem habituros hac ætate conſiderent, ſi non emendatè loqui cœperint, non dubito quin breui Pythagoricam παλιγγενεσίαν videamus, & plures inter nos Iabolenos, Gaios, Celſos, Vlpianos, iterum natos admiremur, aut interpretum, quotquot extiterunt, luminibus ſaltem obſtruamus. Sed ne quid à me tandem iure tuo poſtules, ne quid ſit amplius quod expectes, ecce tibi quod ſemper imiteris, D. Petri Velleij Gueuaræ rariſſimum exemplum,

plũ, qui ex editiſſima eruditionis ſuæ arce magnũ ſignum ſuſtulit, vt de tota republica literaria, præſertimq; de iuriſprudẽtia, quàm optimè ſinguli ſperemus. In his etenim ipſius cõmentarijs magna quædam nos recreat ſermonis elegantia, delectant antiquitatis documenta, methodus inuitat ad legendum, animum reficit varietas, pungunt aculei diſputandi, rapit ad ſe grauitas iudicij, ſingularis ingenij vis exſuſcitat, & tam multiplex rerum elucet cognitio, vt nõ artis anguſtis alicuius terminis, ſed immẽſis omnium diſciplinarum finibus, vnius hominis eximia contineri doctrina videatur. Nõ poſſum non hic apertiſſimum dicendi campum intueri, nec etiam laudum tanti viri latiſſima ſpacia nõ mirari, per quæ ſanè libẽter exultaret, atq; laxis habenis vagaretur oratio, ſi vel id huius inſtituti, vel amicitiæ noſtræ ratio pateretur, nec ille ſuis iã virtutibus eſſet omnibus notior, quàm laudatione mea ſit futurus. Longiſſimum enim eſſet perſequi quantis literarũ ornamentis generis ſui claritatem magis illuſtrauerit, quantis animi dotibus excellat, quàm in omnibus rebus ſe ſe gerat prudenter, quãta pariter humanitate multorum animos cõciliet, cùm grandiora ſint hæc omnia, quàm quæ poſſint

dicendo

dicendo comprehendi, vel amicum expoſcant laũ datorem. Verùm illud futurum affirmabo, ſi ſeſe diutius in perennibus ſtudijs ſuis continuerit, nec ampliſsimus vllus magiſtratus (cuius certè iam olim fuit ille digniſſimus) vtriuſq; iuris candidatis talem virum inuiderit, & ab ocio literario ad negocia publica cõuerterit, vt libris pluribus, quos parat, iuriſprudentiam locupletet, & ab antiquis exterorum iniurijs Hiſpanorum vindicet eruditionem. Interim tamen humaniſſimè lector, his hominis ſapientiſſimi laboribus feliciſſimè fruere. Vale Salmanticæ Kal. Auguſti. 1569.

ILLVSTRISSIMO PRAESIDI, atque illuſtribus ſupremæ curię Senatoribus, Petrus Velleius Gueuara, Ferdinandi Senatoris filius. S.

BONINE an mali plus afferat hominibus copia librorũ, ac de varijs artibus multiplex, variaq; ſcriptio, ſæpe egomet mecum & multum cogitaui. Nam vt opinionum inconſtantiam, mutabilitatem ſententiarum, flexiloquum diſputandi genus quorundam iuris interpretum prætermittam, cùm procellas religionis, turbines, & tempeſtates pacis, & ocij Chriſtiani, & piarum mentium, veteres ex literarum monumentis, nouas animo calamitates colligo, potiſſimam video per eos, quorũ de ſcriptis magna eſſet opinio multitudinis, inuectam eſſe partem incõmodorum. Illi enim ad vitæ commoditatem, iucunditatemq;, ad facultates rerum & copias omnia referentes, omnes dolos, fallaciaſq; quibus lites poſsint intendi, mira auiditate & diſcunt, & in ſcriptis relinquunt. Hi verò ſiue falſa vtilitatis ſpecie ducti, ſiue miſerrima ambitione, cupiditateq; honorum, ſiue deprauatione potius & fœditate turpificati animi, omnia infima ſummis paria faciunt, turbant, miſcent. Ex quo libris mundum referſerunt, inanis quidem vocis ſono decoratis, vt occultiùs ſi poſsint, nobis involubilitate verborum, tanquam in mulſo venenum dent. Cùm autem imbecillitatem, fragilitatemq; memoriæ, atq; ingenij humani, infinitatem rerum atq; naturæ, & cauſarum penè omniũ obſcuritatem conſidero: non ego Alcmæonis, aut Anaxagoræ, quos primos Clemẽs Alexandrinus ſcriptos libros edidiſſe

edidiſſe refert,inuentũ hoc fuiſſe mihi perſuadeo,ſed Dei optimi donum,qui diuina illa præcepta, digito ſuo tabulis quàm optimè inſcalpens, quaſi manu ſua manui ſuperimpoſita,hominum generi hos infindere ſulcos monſtrauit.Atq; ita edocti,quicunq; ſe natos ad iuuãdos homines arbitrati ſunt,ſumma ope ſunt niſi,eos ex ignorantiæ tenebris in literarum lucem vocare.Cùmq; illis minori curæ non fuerit,qualis orbis poſt eorum mortem futurus eſſet, quàm qualis tunc eſſet: vt ſolent parentes morituri, quæ fugienda, ſequendáue norunt, admonere liberos: ſic ipſi quæcunque maioribus vigilijs, magnoque labore conſequuti ſunt, ea, quaſi conſignatis tabulis, ad poſteros tranſmiſerunt editis libris, quorum dici vix poteſt, quanta vis ſit ad animos commouendos. Quamobrem iam inde ab initio, cùm non de terminis, ſed de religione ipſa, inter gentes, Chriſtianoſq; accerrima contentio eſſet, in hac arce præſidia ſuæ defenſionis vtrique conſtituerunt. Nam & tunc quoque libros hæreticorum habere, crimen à noſtris eſſe habitum, inſinuat Auguſtinus. Et in tantum perſequutorum rabiem excitatam, vt diuinos libros ignibus traderent, Hieronymus queritur. Atque intercepiſſe illos, & aboleuiſſe ſuos, quibus Chriſtiana religio comprobaretur, arguit Arnobius. Quo circa ea hac in re habenda ratio videtur, & diligentia, vt neque ab honeſtiſsimo ſcribendi ſtudio quiſquam deterreatur, neque omnium ſcripta comprobentur: ſed delectu habito, ea tantùm in vſu eſſe omnibus permittantur, quę ſi minus vtilia, damnoſa certè non ſint. Ita vos, pleno prudentiæ conſilio fieri voluiſtis. Promulgatis enim legibus ſeueriſsimis & pragmaticis ſanctionibus, primùm ne quis iniuſſu veſtro liber exeat, néue ius imprimendi cuiquam, libro non inſpecto, concedatur, decreuiſtis: librum deinde

deinde qui in manus hominum venturus ſit, probari primùm ab aliquo, qui ſententiarum veritatem perpendere, verborumq; omniũ pondera examinare nouerit diligenter, præcepiſtis: typographis præterea, ne quid prælo cõmittant, niſi permiſſu veſtro, mulcta propoſita, interdixiſtis. Quo non melius aut auctoritati veſtræ, aut ſcribentiũ honori, aut Reipublicæ emolumento, potuit eſſe conſultum. Nunc quod pertinet ad hanc rem, quam paro: quanquam non is ſum, qui putem poſſe me Iuriſconſultorum, vel quintæ claſsis, luminibus obſtruere, tamen in optimis auctoribus mediocriter verſatum, in hoc ſtudio me ætatem conſumpſiſſe, nõ inficior: itaque ſi quid mihi aſſumo, videor id meo iure quodãmodo vendicare. Id quidquid eſt, ſi quidquam eſt, multis certè nominibus debetur vobis. E quibus, quoſdam in adoleſcentia iuriſprudẽtiæ magiſtros, & viuendi habui præceptores: nunc omnes patres habeo cum patria communes: patres inquam, quibus, non ex me ſolùm hi fructus, ſed ab vniuerſis, pro diuinis meritis, diuini honores debeantur.

PETRI VELLEII GVEVARAE AD LEGEM *primam Digeſtorum*

LIBER PRIMVS.

VLPIANVS *libro primo inſtitutionum.*

IVRI operã daturũ prius noſſe oportet, vnde nomẽ iuris deſcendat. Eſt autẽ ius à iuſtitia appellatum: nã vt eleganter Celſus definit, ius eſt ars boni & æqui, cuius meritò quis nos ſacerdotes appellet. Iuſtitiã nãq; colimus, & boni & æqui notitiã profitemur, æquũ ab iniquo ſeparantes, licitũ ab illicito diſcernentes, bonos nõ ſolum metu pœnarum, verum etiam præmiorum quoq; exhortatione efficere cupiẽtes, veram, niſi fallor, philoſophiã, non ſimulatam affectantes.

De origine iuris neceſſariò cognoſcenda,

PRaceptum illud, vt noſmetipſos noſcamus, cu I
ius tanta vis eſt, tanta ſentẽtia, vt non homini
cupiã, ſed Delphico Deo tribuatur, Cicero libro

*tertio ad Q. fr. nō ad arrogantiā minuendam ſo-
lum eſſe datum intelligit: verum etiam vt bona
noſtra norimus. Et lib. quinto Tuſc. qq. de philoſo-
phia naturali agens, hæc tractanti animo, inquit,
& noctes & dies cogitanti, exiſtit illa à Deo Del-
phis præcepta cognitio: vt ipſa ſe mens vitijs exutā
cognoſcat, coniunctamq; cum diuina mente ſeſen
tiat, ex quo inſatiabili gaudio compleatur. Atq;
libro primo de legibus in fine, ait. Nā qui ſe ipſum
norit, primùm aliquid ſe habere ſentiet diuinum,
ingeniumq; in ſe ſuum ſicut ſimulachrum aliquod
dedicatum putabit, tantoq; munere deorum, ſem-*
2 *per dignum aliquid & faciet, & ſentiet. Digna
certè tali viro expoſitio, ac ſententia, tantā tribue
re hominibus dignitatem, vt vel cum Deo conſo-
ciatos ſe poſſint exiſtimare, neq; quicquā iudica-
re ſe dignum, quod caducum, fragile, mortaléue
ſit, ſed ſummum illud bonū, purum, atq; perfectū,
quò omnia referri neceſſe eſt, & ad quod adhibi-
tis omnibus machinis, æquis velisq;, oportet homi-
nem contendere, earum rerū conſeruatione, quas
natura præſcribit, ſcientia ſcilicet, æquitate, iuſti-
tia, veritate, virtute. Atque omnium quidem vir*
3 *tutum, reliquæ, vt ita dicā, quæ ſua ſunt quærunt,*

iuſtitia

iuſtitia tantùm, ſocietatem coniunctionis humanæ, munificè & æquè tuens, communi ſeruit vtilitati. Cuius fruendæ cauſa, olim & bene moratos reges conſtitutos Herodotus ait, & ſtatuta iura, legesq; ſancitas, ſimillimum veri eſt. Iuſtitiæ autē qui daturi ſunt operam, prius noſſe debent, quid ipſa iuſtitia ſit, quid ius, & vnde nomen iuris deſcendat. Omnis enim in quærendo, quæ via quadā & ratione habetur oratio, præſcribere primùm debet, vt quibuſdā in formulis ea res agatur, vt inter quos diſſeritur conueniat, quid ſit id dè quo diſputatur. Ita docet faciendum Plato in Phædro, ſiue dè pulchro. Et Cicero lib. 1. offic. & ſecundo de finbon. & ma. & iuriſconſultus in. l. 1. ff. de reb. credi. & in. l. 1. ff. de offici. Præf. præt. Atque hoc eſt 4
quod Vlpianus ait. Iuri operam daturū prius noſſe oportet, vnde nomen iuris deſcendat. Non eſt enim in hac re præſtanda fides Accurſio, dum exponit, oportet, id eſt, decet: affirmatq; hoc verbum impropriè ab Vlpiano poſitum. De quà re grauis eſt inter doctores contentio, dum alios gloſſæ auctoritas decipit, alios Vlpiani mouet nomen inſigne, ne virum de literis benemeritum credant, meritò ab Accurſio notatum.

Ego de hac re quid ſentiam, breuiter demonſtra-
5 *bo. Duæ ſunt cuiuſq; rei propoſitæ interrogatio-*
nes, ſine quibus id de quo quæritur, intelligi nullo
modo poteſt. Nonnũquam enim nomine nobis pro
popoſito, rationẽ ipſam quærimus, nonnunquã ve-
rò rationẽ aſſequuti, nomen inueſtigamus. Quod
cum in alijs rebus quàm plurimis, tum maximè in
numero reperitur. Cuius nomen quidem par eſt,
ratio autẽ, numerus in duo æqualia diuiſibilis. Vn-
de idem in vtroq; ſignificamus, ſiue nomen interro
gati, rationem, ſiue rationẽ interrogati, nomen red-
damus. Quandoquidem, vnam eandemq; rem no
mine quidem parem, ratione verò, numerũ in duo
æqualia diuiſibilẽ appellamus. Hoc igitur eſt quod
à iuriſconſulto exiſtimo ſignificatum dum ait. Iu
ri operam daturum, prius noſſe oportere, & nomẽ
iuris, quod eſt a iuſtitia deductum, & huius propo
ſiti rationem, quã eleganter Celſus diffinit dicens,
ius eſſe artem boni & æqui. Quaſi dicat, eum qui
res aliquas ſufficienter intellecturus eſt, quæ & no
men & rationem habent, nomen non ſolum ſcire
debere, ſed & callere quoque rationem. Quinimò,
ſi precij alicuius futurus eſt, turpe ipſi eſſe, rerum
magnitudine & pulchritudine excellentium, tam
nomina

nomina quàm rationes ignorare. Cùm enim omnis
controuerſia, aut de re ſoleat, aut de nomine eſſe,
vtraq; earum naſcitur; ſi aut res ignoratur, aut
erratur in nomine. Legum verò conditori, atque
cuſtodi, & ei, quem virtute præſtare cæteris con-
uenit, nihil maius, quàm fortitudo, temperantia,
iuſtitia, atque prudentia. De quibus interpretes,
doctores, legum conditores, rerum publicarum cu
ſtodes, cæteros qui ſcire cupiunt, vel punitione, &
increpatione indigent, docere debent: quaſq; vires
virtus, quas vitiū habeat explicare, tanquā vir
tutis, & excellētiæ alijs in exēplum propoſitis. Eſt 6
autem ius à iuſtitia appellatum. *His verbis do*
cemur, ius adeò à iuſtitia pendere, vt quidquid à
vera iuſtitia alienū ſit, ius id eſſe nullo modo poſ-
ſit. Quod non ſolùm vidit Marius Salomonius,
qui hunc intellectum dicit hactenus à nemine per
ceptum: ſed & Fortunius Garſia reſpondens Bar
tolo, aſſerenti non eſſe neceſſarium ſcire principiū
ex quo, ſed principiū propter quid. primò, inquit,
conſiderabam iura adducta per Bartolū, non pro
bare, ſcilicet l. nec natales, & l. ad probationem.
C. de proba, vbi ex patris, vel matris qualitate, nō
probatur talem eſſe filiū, quia contingit quandoq;

*vt filius ſit ſeruus, & mater libera. Illa igitur iura
loquuntur in principijs, quæ reſpõdent ad originem
materialem, quæ non ſeruant qualitates neceſſa-
rias, in his, quæ ab eis ſequuntur: nos verò loqui-
mur in principijs, quæ eandem rationem ſeruant in
deriuatis. Nam ius à iuſtitia dicitur, vt in lege no
ſtra, & nullum poteſt eſſe ius, quod à iuſtitia non
7 deriuetur. Hinc inter iuriſperitos illa exoritur quæ
ſtio, quæ eorum nonnullos angit, ac ſatis ſuperq; fa
tigat; fuerit ne iuſtitia prior iure. De qua, ne eo-
rum morer referendo, refellendoq; ſentẽtias, meã
8 ego coniecturam paucis aperiam. Naturalis qui-
dem ingenij, memoriæ, ac voluntatis facultas, ad
potentiam pertinet. Ex qua circa potẽtiam acqui-
ſita virtute, egregia illa oritur operationum ordi-
natrix, gubernatrixq; ſapientia, & in actionibus,
ad eandem ſapientiam pertinens ordo ſeruatur.
Vnde illud efficitur, vt in arte, ſicut & in diuinita
te, & natura, ſapientiam, atque potentiam ſeſe in
uicem petere, quo in vnum congrediantur, facilè
videamus. Atque hoc modo ſi attentè animaduer
terimus, haud difficilè cognoſcemus, iuſtitiam, vt
pote quæ potentia ſit, priorem eſſe omni iure, quan
doquidem ex potentia ſapientiam oriri, ſapientia*

verò ius, ideſt, artem boni, & æqui ſeruari demõſtrauimus. Iuſtitiam autem voluntatem eſſe, & ius artem nominari, ex iuriſconſultorum definitionibus clarè patet. De quibus pauca dicamus, primũ verò de iuſtitia, deinde de iure, quod ab ea deductum, appellatumq́; cognouimus.

De definitione iuſtitiæ, & quomodo hæc virtus, vnicuiq́; quod ſuum eſt, tribuat.

LIBER SECVNDVS.

1 *IVSTITIA eſt conſtans & perpetua voluntas, ius ſuum cuiq́; tribuendi. Quæ quidem definitio, & ſi Vlpianum in. l. x. ff. de iuſt. & iur. & Juſtinianũ in. §. 1. eo. tit. in inſtit. auctores habeat: neceſſarium tamen videtur, eam latiùs explicare, parùm eſt enim vt non ſubuerti poſſit: tam multa ſunt, quæ aduerſari videantur, atque illud in pri-* 2
mis. Fũdamentũ iuſtitiæ eſt fides, id eſt, dictorũ, cõuentorũq́; cõſtantia, & veritas, vt ab oratore lib. 1. offic. & à iuriſconſulto in. l. 1. ff. de conſt. pec. & à c. iuramenti 22. q. 5. docemur, & in. l. 1. ff. de pact. Vlpianus ait. Huius edicti ęquitas naturalis eſt. *Quid enim tam congruũ eſt fidei humanæ, quàm ea, quæ placuerunt inter eos ſeruare? Sed incidũt*

ſæpe tempora, cùm ea quæ videtur maximè digna eſſe iuſto homine, eoq; quem virum bonum dicimus, commutantur, fiuntq; contraria: neque enim ſi is qui apud me pecuniam depoſuerit, bellum inferat patriæ, ei ego reddam depoſitum, magis quã inſanienti gladium, neque turpiter data fides vllo modo eſt adimplenda, vt in. l. iuris gentium. §. ſi ob maleficium, & . §. prætor ait. ff. de pactis, dicitur, et in. l. pacta quæ contra C. de pactis. Ergo non rectè deſcribitur iuſtitia conſtans, & perpetua. Intelligendum eſt fundamentum iuſtitiæ eſſe fidem, ad præcepta iuris dictam fidem referendo, id eſt, vt ita vnicuiq; ſuum tribuas, dum honeſtè viuendo, neminem lædendo, id facere poßis. Non ſunt verò promiſſa ſeruanda, quæ vel ijs quibus promiſſeris ſunt inutilia, vel quæ tu reddendo, non è rep. facis. Quare quod ait iuſtitiam conſtantem, & perpetuam eſſe volũtatem ſeruandi, intellige, iuris præcepta, ita vnicuiq; ſuum tribuentem, vt tamen & honeſtè viuat, & alterum nõ lædat. Vnde & quæ metu, doloúe malo geſta ſunt, legibus improbantur, prætorio iure reſcinduntur, nec qui ita promiſit, fidem cogitur adimplere, nimirum quia & qui promiſit læditur, & qui extorſit, inhoneſtè iniuſtèq;

iuſtèq; egit. Illam autem mutationem, non præ- 3
clariſſimæ virtuti iuſtitiæ accidere, ſed rebus ip-
ſis, verbis diui Auguſtini, enarratione in pſal-
mum quintum, docemur, dum ait. Illud quod non
habet duplex cor, nec mendacium quidem dicen-
dum eſt. Tanquam, verbi gratia, ſi cui gladius
commendatur, & promittat ſe redditurum, cùm
ille qui commendauit, popoſcerit, ſi fortè gladium
ſuum repetat furens, manifeſtum eſt, tunc non
eſſe reddendum, ne vel ſe occidat, vel alios, donec
ei ſanitas reſtituatur. Hic ideo non habet duplex
cor, quia ille cui commendatus eſt gladius, cùm
promittebat ſe redditurum poſcenti, non cogita-
bat furentem poſſe repetere. hæc ille, quaſi diceret,
veritas illius præcepti, depoſitum reddendum
eſſe, vel fidem promiſſam cuſtodiri oportere,
nunquam mutatur, niſi conuerſis rebus, ex qua-
rum varietate contraria naſcitur veritas. niſi
enim qui apud me gladium ſanus depoſuit, in-
ſaniret, iuſtitia reddendi depoſitum nunquam de
ficeret. Vbi verò furor illum occupat, non volun-
tas mutatur reddendi vnicuiq; quod ſuum eſt,
ſed ſubiectum potius, vt iniuria illi fiat, ſi ſibi red-
datur. Deinde quandoquidem de humana iuſti- 4
tia

tia nobis nunc ſermo eſt, indoctè ab Vlpiano ſcriptum videtur, conſtans, & perpetua voluntas. Quid enim erit ſtabile inter homines, & ita immobile, vt nullam patiatur mutationem, cùm omnis ſtatus noſter in perpetuo motu conſiſtat? auth. de non alien. §. vt autem colla. 2. Accurſius illa duo verba, conſtans, & perpetua, extrahenda putat, media luce non videns, in diffinitione iuſtitiæ, perpetuum, conſtantiamq; ſumi, nõ ratione actus, qui nunquam interrumpitur (id enim ſoli Deo cõuenit) ſed ratione obiecti, dum quis omni euentu debitè, & ſecundùm legem operari proponit. Sed
5 *venio ad aliud. Cicero in topicis ad Trebatium ita inquit, omnium cauſarum in alijs ineſt conſtãtia, in alijs non ineſt, in natura, & in arte conſtantia eſt, in cæteris nulla. ex qua diuiſione illud elicitur, ex omnibus cauſis naturam, & artem conſtanter agere, & in hoc nullum dubium. Nam quòd vnus idemq; artifex, ex eadem ſæpe materia, non ſimiles ſtatuas format, non eſt hæc in arte varietas, ſed in artificis manu. Et idẽ eſt in natura, in qua ſi quid monſtruoſum efficitur, non naturæ vitio, ſed materiæ potius, id fieri dicendum eſt, ex qua id quod efficere contendebat, non ita potuit natu-*

ra

ra explicare,reliquæ verò omnes cauſæ,ſiue perſpi
cuæ,ſiue latentes,inconſtanter omninò agere dicun
tur,neque in eis vlla ineſt conſtantia, quales ſunt
caſus,voluntas,perturbatio,& habitus. Quòd ſi
voluntas mobilis prorſus,variabilis,& inconſtans
dicitur, non ſolùm dum perfectiſsimam iuſtitiæ
virtutem,voluntatem eſſe dixit,lapſus videtur Vl
pianus,ſed & cùm voluntatem conſtantem, perpe
tuamq; nominauit. Repugnant ſiquidem inter ſe,
atque è regione diſcrepant,& voluntatem eſſe, &
cōſtantem,ac perpetuam eſſe. Pro cuius enodatio-
ne quæſtionis paulum ante dicēdum eſt. Plato quæ 6
cumq; videmus,aut tangimus,ſenſibúsue corporis
percipimus,in illis nō numerat,quæ eſſe propriæ pu
tat:nihil eſt toto quod præſtet in orbe, cuncta fluūt,
omniſq; vagans formatur imago,fitq́; quod haud
fuerat, momentaque cuncta nouantur. & id qui
dem eſt,quod dicebat Heraclitus,in idem flumen
bis deſcendimus,& non deſcendimus:manet enim
idem fluminis nomen, aqua tranſmiſſa eſt, qua-
propter ille,quem dixi,Plato,formas rerum con-
ſtituit,quas gigni negat,& ait ſemper eſſe,ac ratio
ne,et intelligētia cōtineri,cætera naſci,occidere,flue
re,labi,nec diutius eſſe vno, & eodē ſtatu: has eſſe

quas

*quas neque aſpicere oculis , neque manu tãgere,
neque percipere ſenſibus poſſumus, cogitatione tã-
tùm, & mente complectimur. Nõ ille ait eſſe ani-
mas, aut formas cœlo delapſas, vt falſò referri ſo-
let, ſed perfectam notitiam vnius cuiuſq; rei, vt cũ
virtutem diffinimus, & conſideramus non qualis
eſt in Catone, aut Socrate, ſed per ſe ſolùm. Et hãc
eſſe mentem, ſententiamq; Platonis manifeſtè ap-
paret in libro quinto, & ſexto, & decimo de repu-
blica, & in Hippia maiore, ſiue de pulchro, mul-
tiſque alijs in locis, & docet apertè Cicero in ora-
tore ad Brutum, & in Academicis quæſtion. &
Philon lib. vnico de mundi opificio, & Seneca libr.
8. epiſto. ad Luciliũ. Huius igitur myſterij nõ igna
rus iuriſconſultorum eruditiſſimus Vlpianus quẽ
admodum egregius quiſque artifex, pulchrum
aliquod ſimulacrum facturus, neminem cõtem-
platur, è quo ſimilitudinem ducat, ſed mente con-
cipit ſpeciem pulchritudinis quãdam eximiæ, quã
intuens, in eaque defixus, ad illius ſimilitudinem,
artem, & manũ dirigat, ita & ipſe iuſtitiæ diffi-
nitionem traditurus, neminem, neque ipſum quì-
dem Ariſtidem, cõtemplatur, ex quo ipſam dedu-
cat, ſed ipſiusmet iuſtitiæ perfectã, & abſolutam
effigiem,*

effigiem,formam,& ſpeciem, deſcribit, quam cō
ſtantem prorſus,immobilem,ac perpetuam eſſe,ne
mo ſana mentis negauit. Sic ego illa iuriſconſulti
verba accipio in.l.penul.ff. de iuſt. & iur. Prætor
quoq; ius reddere dicitur,etiā cum iniquè de
cernit,relatione ſilicet facta nō ad id quod ita
Prætor fecit,ſed ad illud quod Prætorē face-
re cōuenit,*& in.l.ſed licet is.ff.de offi.præſi.quod* 9
Proculus ait,ſed licet is,qui prouintiæ præeſt.
omniū Romę magiſtratuū vice& officio fun
gi debeat,nō tā ſpectandū eſt,quid Romæ fa
ctū eſt,quā quid fieri debeat. *Egregiè ſanè ſi qui*
dē iudices,vel humilium preces,vel calamitoſorū
lachrimæ,vel propinquorum affinitas,vel amico-
rum familiaritas,aliquando mouent,& à recto de
uiare ferè inuitos cogunt. Errare poſſunt iniqui, ſi
qui erunt legumlatores,imperiti iuriſconſulti, in-
continentes,& numarij iudices, ipſa verò iuſtitiæ
virtus,& bonitatis,atque æquitatis ars,cōſtans,&
perpetua volūtas eſt,ſuū vnicuiq; tribuens, immo
bilis prorſus, nec variabilis. Nihil eſt enim a gra-
uitate iuſtitiæ,errore,leuitate,temeritate, diſiun-
ctius. In primis igitur hoc ſapiēter,vt omnia alia, 10
iuriſconſulti iuſtitiæ virtutem appellant,non prin-
cipum

cipum decreta non populorum iuſſa, non Prætorũ
edicta, nõ iudicum ſententias, ſed abſolutam, per
ſe conſtantem, ac perpetuam voluntatem redden-
11 *di vnicuiq; quod ſuum eſt. Verùm adhuc iuriſcõ*
ſultum non rectè diffiniſſe probari poſſe videtur
tali ratione. Vlpianns ait. Iuſtitia eſt conſtans, &
perpetua voluntas ius ſuum vnicuiq; tribuens:
Cicero verò, iuſtitia eſt (inquit) habitus animi
communi vtilitate conſeruata ſuam cuique tri-
buens dignitatem. Sed habitus & voluntas ma-
ximè differunt, ergo non rectè ab vno eorum diſi-
nitum eſt. Ciceronis verò diffinitionem optimam
eſſe Vlpiani verò non ita, probatur partium enu-
12 *meratione. Tria ſunt quæ fiunt in anima, affe-*
ctus, potentia, habitus, horum aliquid ipſam vir-
tutem eſſe neceſſe eſt: ſed non affectus, neque po-
tentia, ergo habitus virtus eſt. Quod non ſit affe
ctus patet ex Ariſtotel. libro. 2. ethi. cap. 5. Siqui
dem non is, qui metuit, aut iraſcitur, vituperatur.
Sed qui modo quodam metuit, aut iraſcitur, re-
prehenditur. Qua ſimiliter ratione in potentia
non eſſe virtutem concluditur. Ex quibus duo fa-
cilè deducuntur corollaria. Primum aduerſus
Vlpianum huiuſmodi. Potentia non eſt virtus, bo

ni

*ni enim non dicimur, aut mali, quia poßimus ira-
ſci, vel timere: ſed voluntas eſt potentia, ergo in
voluntate non ineſt virtus, & conſequenter iuſti-
tia non eſt voluntas. Alterum ſecundum Cicero-
nem eſt, virtutem neceſſe eſt eſſe vel affectum,
vel potẽtiam, vel habitum, ſed nec affectus, neque
potentia virtus eſt, igitur habitus eſt. Iterum &
pro oratore contra iuriſconſultum facit. Virtus in
actione conſiſtit: ſed habitu agimus, volũtate poſ-
ſumus, ergo virtus iuſtitiæ in actione eſt, id eſt, in ha
bitu, non in potentia, hoc eſt, in voluntate. Proba-
tur iſtud fundamentum manifeſto principio, quia
affectus ſine effectu non punitur. l. cogitationis. ff
de pœnis. l. 1. ff quod quiſque iur. l. vulgaris. §. qui
furti. ff. de furt. Præterea iuriſconſultum vrget,
iuſtitia conſtans & perpetua eſt: ſed voluntas,
vt ſupra probauimus, inconſtanter agit, habitus
verò licet non propria natura, quia tamen natu-
ram imitatur, conſtanter agere dicitur, ergo iuſti-
tia habitus eſt, non voluntas. Conſiderandum
eſt pro huius explicatione quæſtionis, voluntatem* 13
*amplißimam, latamque nimium rem eſſe; neque
enim ſolummodo ea volumus, quæ agere poſ-
ſumus, ſed & ea, quæ in noſtra non ſunt
poteſtate*

poteſtate,vt lib. 3, eth. cap. de electione nos docet
Ariſtoteles. Quo fit vt & ſupremas virtutes,at-
que vltimum bonum finem vellimus:quinimò niſi
quod rectè honeſtèq; volumus, velle nos non pu-
tat idem philoſophus:quicquid verò ſtudioſus (ſi
modò ſtudioſus ſit) velit,& volũtate affectet,abſ-
que dubio illud ſimpliciter,& re vera bonum eſſe
ſcribit eodem libro.3 cap.de voluntate. Si igitur
quicquid ſtudioſo voluntate eſt affectabile,nõ mi-
nus ſimpliciter,& re vera bonum eſt,quã id quod
habitu,vel electione geritur,in voluntate ergo non
anguſtior,quàm in ipſo habitu reperitur iuſtitiæ
candidiſsima virtus. Qua ratione arbitror iuſti-
14 *tiã difinijſſe. S.Thomã,habitum ſecundũ quem*
perpetua volũtas ius ſuum vnicuiq; tribuit:iuriſ-
conſultũ autẽ iuſtitiã appellaſſe volũtatem ſuſpi-
cor,tũ prædicta ratione, tũ etiã, quòd legumlatori
bus tã volũtas,quã actus conſiderãda ſunt,ad præ
mia,pœnasq; ſtatuẽdas,qui eſt finis iuris ciuilis,vt
latius infra dicemus. Si enim ſuis terminis non cõ-
tenta volũtas,veluti factũ punitur,vt in c.nuper,
& in.c.fina.de bigam.& in pleriſque volũtas pro
facto reputatur, non minus cùm de iuſtitia,iniu-
ſtitiaue agitur,voluntatem quàm habitum conſi-
derare

derare oportet. Quòd ſi ſic eſt, prudẽtiſſimè iuriſcõ
ſultus verbum voluntatis appoſuit, ſub quo habi-
tus intelligeretur. Nã ſi voluntati legibus præmiũ,
ac pœna conſtituitur, & rectè facientes præmijs af-
ficiendos, & ſceleratos homines, improboſq́; ciues
vinculis, & damno coercendos, facile intelligemus.
Præterea ſi volũtas, (vt iam probauimus) boni eſt 15
(omnes enim ea, quæ bona videntur, ſequuntur, fu
giuntq́; cõtraria) quæ cõſtans, & perpetua volun
tas erit, habitus erit, quandoquidẽ habitum appel-
lamus, animi, aut corporis conſtantem, & abſolu-
tam aliqua in re perfectionem, vt virtutis, aut ar-
tis alicuius perceptionem. At ſi habitus animi, aut
corporis eſt conſtans, & abſoluta aliqua in re per
fectio, habitus quidem virtus erit, quod nemo euer
tit. Et inde eſt, quod non indoctè Marcus Fabius
Victorinus notabat, ab Ariſtotele, atque à Cice-
rone, in bonis frequentiùs habitũ poni, quàm in ma
lis, licet etiam in veritate malorum quoq; ſit habi-
tus, ex eo nempe, quia habitũ dicimus ab eo, quod
habere voluerimus, natura autẽ noſtra talis eſt,
vt nunquam mala velimus. Nam ſimul atque ob
iecta ſpecies eſt cuiuſpiam, quod bonũ videatur,
ad id adipiſcendum, impellit ipſa natura. Id cùm

*conſtanter, prudenterq; fit, eiuſmodi appetitionem
appellamus voluntatem. Igitur de primo ad vlti-
mum, conſtans, & perpetua voluntas ſuum cuiq;
tribuendi, virtus iuſtitiæ erit. Quam argumenta-
tionem, quò facilius intelligatur, paulò adhuc bre-
uius colligamus. Cõſtans, & perpetua volũtas ha
bitus eſt: ſed in habitu ineſt virtus: ergo conſtans,
& perpetua volũtas eſt virtus. Ita dum de primo
ad ſecundum, de ſecundo, ad tertium argumenta
mur, illud quod mediũ eſt, extrema inter ſe rectè
cõiungit. Cæterũ quòd cõſtans, et perpetua volũtas
ſit habitus, argumentis à diffinitione concluditur,
& ab annotatione, quæ firma eſſe, probant Barto
lus, Alexander, Iaſſon, Felinus, Euerardus, Can-
tiuncula, & concors doctorum ſententia. Eſſe ve-
rò hunc veriſſimũ huius diſpoſitionis ſenſum, vel
ex ipſis verbis clariſſimè patet.* Iuſtitia (*inquit*)
eſt cõſtans, & perpetua voluntas. *Quibus ver
bis diſpoſitio apertiſſimè notatur: ſequẽtibus verò*
16 *habitus, dum ait,* ius ſuũ cuiq; tribuens. *Sed &
aliter adhuc rem iſtã poſſemus conſiderare. Quẽ
admodum bona, vel mala, virtutes, ac vitia nullo
ſenſu ſentire quiſquã poteſt, ſed ſolùm modo p in
tellectũ ſenſui ſupereminentẽ cognoſcere, ita et illa
proſe-*

proſequi, amare, atq; amplecti ſolummodo volun tate poteſt. Senſus enim cùm modicè capaces ſint, facilè implentur, ſatianturq;: neque poſſunt, niſi quæ ſenſibilia ſunt bona, & quæ ſenſus iudicat con uenientia deligere. Voluntas verò quæ, vt ſupra di ximus, infinitæ capacitatis eſt, & durationis æter na, cùm ſit potentia, & à corpore ſeparabilis, & in æternum permãſura, virtutes amplectitur, atque amat: neq; vlla re quantùlibet præcellenti ſaciatur, niſi ſummo bono. Quod nõ de ea voluntate intelli gendũ eſt, quæ ſenſui cõiuncta eſt, et ad ſenſus iudi cium mouetur, hæc enim vocatur appetitus ſenſiti uus, in quo homo, cũ brutis animantibus conuenit. Sed de ea, quæ ſuperior, cõiuncta eſt cũ intellectu, per quã homo id quod intellectus iudicat bonũ, amat, & proſequitur, mandatq; executioni: cauſaq; eſt omniũ virtutũ, atq; vitiorum: cauſam autẽ di cò, ſalua ſemper quæ patri luminũ adhibẽda eſt re uerentia, à quo omne datũ optimũ, & omne donũ perfectum eſſe fateor, atq; etiã profiteor. Ex eo igi tur quod vitia in noſtra eſſe poteſtate, neq; peccare quẽquã niſi aſſenſione dicimus, virtutiſq; cõſtãtiã, et firmitatẽ ex his rebus opinamur cõſtare, quibus aſſenſa eſt, & quas approbauit, illud cõſequitur,

ratione voluntatis hominem poſſe mereri, vel non mereri, dignumq́ fieri præmio, ſeu pœna. Cæterorū
17 *verò animalium nullū retributione bona, vel mala dignum fieri, cùm meritum, & demeritum, præmium, & punitio illic locum habeāt, vbi eſt actuū liberum dominiū: vbi quod fit, liberè fit: ita vt poſſit qui facit, hoc ipſum, ſi velit, non facere: Nam vt D. Auguſtinus ait lib. 22. contra Fauſtum, iuſtitia niſi eſſet in voluntate, non eſſet in poteſtate: porrò ſi in poteſtate nō eſſet, nullū præmiū, nulla pœna iuſta eſſet. Vnde ratio deducitur tex. in. c. naſci. 56. diſt. & in. c. ſciendum. 8. q. 1. & §. ex voluntate & c. meritò, et. c. illa 15. q. 1. Ex eodemq́ fonte deriuātur noxales actiones, totuſq́ titu. ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur. Vbi puniuntur quidem animalia bruta, non quòd actu ſuo pœnam vllam meruerint.* Nec dici poteſt animal iniuriam feciſſe, quod ſenſu caret, *inquit Vlpianus in. l. ſed & ſi. §. igitur. ff. ad leg. Aqui. & in. l. 1. §. ait præto. ff. ſi quad. pau. fe. Quæ enim in eo culpa ſit, cùm ſuæ mentis non ſit? quemadmodum ſi quadrupes damnum dederit, Aquilia ceſſat, aut ſi tegula ceciderit: Sed ob id leges ciuiles etiā in beſtias animad-*
18 *uertunt, quòd talis punitio, potius ad dominorum*

ipſorum

*ipſorum damnum,ad quos attinet,ſpectat:vt diſ-
cant videlicet poſſeſſores diligentius ſua iumenta
obſeruare,& legum dictis obtemperare. Qua etiã
ratione,veſtri ordinis, patres ampliſsimi, iuſtiſsi-
mo decreto,noſtra ſuperiori ætate,mulæ in quibus
quis ſediſſet,iugulabantur. Quòd verò is,qui cum
iumento coit,ſimul cum ipſo iumento comburatur,
ob id iura,etiam diuina diſponunt,primùm vt D.
Auguſtinus lib.3.quæſtionum in leuiti.vult,& re
fertur in.c.mulier quæ acceſsit 15.q.1.quia tali fla
gitio contaminata pecora,indignam refricãt facti
memoriam:deinde,meo iuditio,vt magis ab ijs de
terreantur rationalia animalia,cùm & in irratio-
bilibus beſtijs talem videant capitalis ſententiæ ſe
ueram exerceri vindictam. Poſtremò aptè ab* 16
*Vlpiano iuſtitiam appellatam voluntatem, inde
quoque probari poteſt maximè, quia ſi in reliquis
virtutibus voluntas conſideratur, multò quidem
magis in ipſa iuſtitia conſideranda eſt: quæ cùm
non ſolùm ſibi,ſed etiã alijs laboret,vnicuiq; quod
ſuum eſt tribuat:id autem efficere niſi voluntate
nemo poſsit,cuius enim tanta vis eſt, authoritas,
atque potentia?vel impoſsibile eſt quẽquam iuſtũ
eſſe,& ſic vanum eſſet iuſtitiæ nomen,vel cõſtans,*

 & per-

& perpetua voluntas ſuum cuique tribuendi,vir
tus iuſtitiæ erit. Sunt enim in nobis opinio,conatus
appetitus,& declinatio. Non ſunt aũt in nobis cor
pus,poſſeſſio,gloria,& principatus,ſi modò Epicte
to credendum eſt. Quòd ſi corpus nõ eſt in nobis,
ſed potiùs vt Plato ait,ſicut ſutor ſubula: ita ani-
mus corpore vtitur veluti inſtrumẽto,ad ea pera-
genda,quæ intellectus appetenda voluntati propo
nit,virtutem niſi in his,quæ in nobis ſunt,nemo ſa-
20 næ mentis collocabit. Illud nunc reſtat tractãdum,
qualiter hæc conſtans,et perpetua volũtas,tribuat
vnicuique quod ſuum eſt. Quodquidẽ ſi à princi-
pio,origineq́; diſputandum eſſet,illud in primis quæ
rere,& inueſtigare conueniret, quid ſit homini à
natura tributũ,cuius muneris colendi, efficiendiq́;
cauſa nati, & in lucẽ editi ſimus, quæ ſit coniun-
ctio hominũ,quæ naturalis ſocietas inter ipſos,quæ
licet ſint iucundiſſimæ cõſiderationis, & cogitatio
nis pulcherrimæ,cùm tamẽ nõ ſint omnia hoc tẽpo-
re differẽda,vt quo ordine cæpimus,pergamus, ad
21 huc ab Vlpiano nõ aptè ſcriptũ videtur,cũ de vera
iuſtitia loquatur,ſuum cuique tribuere. Sũt nam
que priuata nulla,natura: ſed aut veteri occupa-
tione,vt qui quondã in vacua venerunt,aut victo
ria,

ria, vt qui bello potiti ſunt, aut lege, pactione, conditione, ſorte. Nam vt à iuriſconſulto dicitur in. l. ex hoc iure. ff. de iuſt. & iur. Ex hoc iure, *gentium ſcilicet*, introducta ſunt bella, diſcretæ gentes regna cõdita, dominia diſtincta, agris termini poſiti, ędificia collocata, cõmertiũ, emptiones, venditiones, locationes, cõductiones, obligationes inſtitutę. *Intelligẽdũ eſt ex eo, quia ſuũ cuiuſque ſit, eorũ, quæ natura fuerant cõmunia, quod cuique obtigit, id quẽq; tenere conuenire: eo ſiquis ſibi plus appetat, violare ius humanæ ſocietatis: earũ verò rerũ, quas ad cõmunem vſum hominũ natura genuit, cõmunitatẽ neceſſariã eſſe, et cõmunes vtilitates afferre decere. Nã quẽadmodũ theatrũ, cùm ſit cõmune, rectè tñ dici poteſt, eius eſſe eũ locũ, quẽ quiſq; occuparit, ſic in vrbe mundoue cõmuni, nõ aduerſatur ius, quominus ſuũ quidque cuiuſque ſit. Quidquid verò ſine detrimẽto cõmodari poteſt, id tribuatur vel ignoto, cũ et quæ in terris gignũtur, ad vſum hominũ creata ſunt oĩa, et homines geniti hominũ cauſa: vt ipſi inter ſe aliꝰ alij ꝓdeſſe poſſet, ſemꝑq; aliquid ad cõmunẽ vtilitatẽ afferret. Sed et aliter quoq; nõ abſurdè dici poſſet primæua cõſideratione, id eſt, iure naturali primæuo*

*mæuo:omnia eſſe communia,conſenſu verò hominum,hoc eſt iure gentiũ,res omnes diuiſas, & particularia dominia diſtincta. Nam ſi à principio id homines non conſenſiſſent, rerum nequaquã fieret partitio,ſicut facta eſt,quod ſatis conſonat prædictæ diſpoſitioni,*ex hoc iure.*Tertiam adhuc rationem,talem cogitabam.Ratio,qua naturaliter omnia ſunt cõmunia,non intelligenda eſt, vt exempli gratia huius domus,illiúsue agri,ſiue fundi nullus ſit dominus,hoc enim modo nemo illum araret,nemo ſereret,nemo domum ædificaret. Intelligẽdum eſt omnia,in vniuerſum ſcilicet cõſiderata,omniũ eſſe:eodem modo,videlicet generaliter, coniunctionis,& ſocietatis hominum. Ita vt qui ſeminat, ac metit,non id ſibi ſoli,ſed communitati hominũ faciat. Et idẽ de fabris,ſartoribus,ſutoribuſq;,ac reliquis,qui et ſi priuatè domi ſibi laborant,rei publicæ tamen ſeruiunt. Quòd ſi aliter fieret,vel nemo agros,nemo ciuitates curaret,vel qui potior viribus eſſet,expulſis,ac reiectis reliquis,quæ ſibi potiora viderẽtur,occuparet,diuiſione verò rerũ fit,vt verè exiſtimentur omnia communia, & agricola mercatori aret,mercator militẽ veſtiat, miles iuriſconſultos defendat,iuriſconſulti principes conſi*

lio

lio adiuuẽt:principes gubernent, ac moderẽtur pro uintias,in quibus omnes in pace,ac trãquillitate vi uamus,quod propriũ iuſtitiæ munus eſt,legũ finis, & iurium, ac iudiciorũ ſcopus. Quare vidẽdum eſt ei,qui rempub.adminiſtrat,ſuum vt quiſq; teneat,neque de bonis priuatorũ aliqua diminutio fiat,ne quis per aduerſarij ſui potentiã opprimatur,ne quis iniquũ lucrũ,aut damnum ſentiat, ne potentiores viri humiliores iniurijs afficiant, nêue defenſores eorũ calũnioſis criminibus inſectentur innocentes,vt docemur in l.nec quicquã.§.ſed et ſi quis.ff.de offi.procõſul.& in l.illicitas in prin.et in §.ne potentiores.ff.de offi.præſi. Atq; huic quidẽ in terpretationi ſatis cõſonat, quod Lactãtius lib. 5. c. 5. de aureo ſeculo agẽs,non exiſtimemus,inquit, nihil omninò tunc fuiſſe priuati,ſed more poetico fi guratũ,vt intelligamus tam liberales fuiſſe homines,vt natas ſibi fruges nõ includerent,nec ſoli ab ſconditis incubarent, ſed pauperes ad cõmunem vſum proprij laboris admitterent. Quibus ita ex 22
poſitis,quandoquidẽ dictũ eſt ſupra,in hoc iuſtitiã à reliquis virtutibus moralibus differre, obidque præclariſſimã inter cæteras eſſe,quòd nõ ſolùm ſibi agat,ſed et alijs procuret,et totius reipub ſibi curã

vendicet, operæpretiũ erit videre, qualiter iuſtus dũ vnicuiq; quod ſuũ eſt, tribuit, primùm ſibi ipſi tũ corpori ad vitã neceſſaria, tùm animo ad bonũ intelligendũ, cõſequendũq; miniſtret. Deinde qualiter ſe erga rẽpu. habeat, quã præcæteris habere chariſsimã, bonos decet viros: cuiuſq; ſalus, ac dignitas prior omni dñatione, & domeſticis cõmodis eſſe debet. Nã Deo, quomodo quod ſuũ eſt tribuendũ ſit, abũdè docuit Plato in Euthyphro, vel de ſanctitate: præterquã quòd à noſtræ religionis ſacris doctorib⁹ ſatis ſum⁹ edocti. Quòd aũt ad primũ attinet, animi partibus, ſeu potẽtijs, et nõ tribuere quod rectè poſſis, & tribuere quod nõ ſit æquũ, cõtra iuſtitiã eſt. Sunt aũt multò magis ſecundùm naturã tributa homini excelſitas animi, & magnitudo, itẽq; comitas, iuſtitia, liberalitas: quàm voluptas, quàm vita, quã diuitiæ. Quæ cõcluſio licet eũ habeat authorẽ, vt teſtibus nullis indigeat, explicabitur tamẽ apertiùs, ſi primò, quæ obijci poſſũt, diluerimus. Videtur nãq; nimis obſtare, quod in Geneſi ſcribitur, ſẽſus, et cogitatio humani cordis in malũ ꝓna ſũt ab adoleſcẽtia ſua. *Et cõciliũ quoq; Toletanũ vt refertur. c. 1. 12. q. 1.* Omnis, *inquit*, ætas ab adoleſcẽtia ſua, in malũ prona eſt. *Quæ tñ ſi, vti*

decet,

decet, intelligamus, minimè ijs quæ diximus aduerſantur. Suprà dum Delphicũ illud oraculũ interpretabamur, proximã, ſimillimãq; eſſe hominis animã diximus diuinæ menti, nec vllã eſſe rẽ, vbi apertiùs, ac propriùs ſe ipſam poſſit intueri, propriãq; cõtemplari formã, atq; naturã, deniq; vti ſit noſſe, quàm in perpetua, incõprehenſibili, æterna, atq; diuina mente. Id Plato in primo Alcibiade, ſiue de natura hominis, aptiſſima probat ſimilitudine, dicẽs. Quemadmodũ omnia mẽbra, ita demùm propriã cognoſcunt naturam, ſeq; ipſa percipiunt, ſi in id quod ſimile eſt, reſpexerint, quo fit vt oculus ſe ipſum maximè cernat, cùm in oculũ inſpicit: in idque præterea intendit, quod oculi optimum eſt, & quo oculus ipſe videt, eodem pacto & anima, ſi ſe ipſam noſcere vult, in animã intueatur, in eũque præcipuè locum animæ, in quo ineſt virtus animæ ſapientia, in quo ſanè quis intuẽs, & omne diuinũ, Deum ſcilicet, & ſapientiã cernens, ſeipſum prorſus agnoſcet. Hæc ille: dicemus ne igitur immortalem animum, cõſilij, rationiſque participem, quem Deus ipſe ad ſui imaginem, & ſimilitudinem factum, vt dominum, atque imperatorẽ obedienti præfecit corpori, in fæda vitia, humanas, & fragiles

les voluptates, tetra ſcelera, & euitanda mala propria natura duci, & inclinari potiùs, quàm æquitatē, continentiā, bonitatem, atque iuſtitiā appetere: non reor: probauimus ſiquidem ſuprà cupere hominis voluntatē quod rectū eſt: deſiderareq; ſummum illud bonū, quod vt operibus bonis cōſequamur, nati, & in lucē editi ſumus. Qua verò cauſa id eueniat, quod ex Geneſi allegauimus, vt ſenſus, & cogitatio humani cordis, in malū prona ſint ab adoleſcentia ſua, ex eo accidere autumo, primùm ex peccati fomite, de quo apud Theologos vera, et religioſa tractatio eſt. Deinde quòd cum animus ad aliquid cōſiderādū ſociū ſibi corp⁹ aſſumit, vel viſum, vel auditū, vel aliū ſenſum: hoc enim eſt ꝑ corpus cōſiderare, quia per ſenſus id agitur, tūc quidē à corpore trahatur ad ea, quæ nunquā eodē modo ſunt, atq; ipſe aberret, perturbeturq;, et quaſi ebrius vacillet, neceſſariū eſt. At verò quoties ipſe animus per ſe quidquā excogitat, illuc ſe cōfert ad purū, ſempiternū, immortale, ſemp eodē modo ſe habēs. Itaq; deprauationis illius, qua ſæpè minus bonū eligimus, maximā culpā ſuſtinēt inſtrumēta, quib⁹ vti neceſſe eſt, veluti ſi quis peregrinus, hoſpes ue, Salmāticā qui nunquā vidiſſet, huc modò accederet,

deret, non hoſpitia noſſet, ciues nunquam vidiſſet, mores, & ſtatuta ciuitatis ignoraret prorſus: poſſet ne hic quantumvis ſagax, ingenioſus, & ſolers eſſet, non cuiuis ſe tradere, et à quouis decipi? Non ſecus animus noſter quantumuis immortalis, excelſus, & boni appetens, dum humano, & fragili carcere includitur, dum corporis vinculo aſtringitur, dum miniſtri, atque exequutores ſuarum operationum dantur mortales ſenſus, his ſe committere, ab his diſcere, & percontari ſingula, dum hac luce fruitur, neceſſe eſt. Ij verò neſcio quo fato, ea obcæcat hominum oculos nebula, importunaq; tenet caligo mentes, & à matribus penè nondum nati, vitijs aluntur, & cum nutricis lactè dolos, fraudesq; ſuggunt. Deinde verò adeò nos vmbris, delitijs, otio, languore, deſidia animum inficimus, opinionibus, maloq; more delinitum mollimus: vt naturam, cæteroqui ſemper inuictã, facilè praua vincat cõnſuetudo. Atque hoc illud eſt quod à Cicerone in partitionibus dicitur. Eſt, inquit, genus hominum ad honeſtatem natũ, malo cultu, prauiſq; opinionibus corruptum. Et lib. 1. de legibus, ait. Sequitur igitur ad participandum alium ab alio, cõmunicandumq; inter omnes, iuſtos natura eſſe factos,

tantam

tantam autem eſſe corruptelam malæ conſuetudinis, ut ab ea tanquã igniculi extinguantur à natura dati, exorianturq́, & confirmentur vitia contraria. Quod idem firmat Plato in Phædone, vel de anima, & in Timæo, vel de mũdi natura. Quã ſit autem illis iuribus aptus hic ſenſus, ipſa indicãt verba. Senſus, & cogitatio humani cordis. *Videtis ut de ſenſibus, & mortali, fragiliq́, corde loquantur. Et demum inquiũt,* prona ſunt ab adoleſcentia ſua. *Hoc ad corpus ſpectare, non de animo dici, quis nõ videt? Hic quoque ſatis apparet, qualiter intelligendum ſit illud, quod alibi ab Vlpiano dicitur in l. 1. § ius naturale. ff. de iuſt. & iur.*

24 Hinc deſcendit, *inquit*, maris, atque fœminæ coniugatio, quam nos matrimonium appellamus, hinc liberorum procreatio, hinc educatio. *Quæ non ſatis videbatur firma ſententia, cùm appetitus, etiam extra matrimonium, naturalis eſſe probetur. in. c. debitum, de biga. & in. c. gaudemus de diuor. Quam difficultatem pluribus locis tractant, examinantq́, doctores, quorum ego dicta, & opiniones, non eſt cur tranſcribam. abundè explicat Dominicus Soto lib. 1. de iuſt. & iur. art. 4. in reſponſione ad tertium, dum ait, ad tertiũ concedi-*

ceditur inclinationes naturæ, quæ homini competunt, in quantum ſenſibili animali, ad legem attinere fomitis, hoc eſt, appetitus ſenſitiui, originali iuſtitia deſtituti. Si autem conſiderentur, quatenus hominis ſunt propriæ, tunc legi naturæ ſubduntur, puta rationi, cæterarum potentiarum moderatrici, quæ cunctos affectus debet intra ſuas lineas continere. Verùm adhuc prædictam 25
diſpoſitionem talis vrget aduerſa ratio. Nuptias non concubitus; ſed conſenſus facit: eſt autem conſenſus de iure gentium, vt in. l. conſenſus. C. de repud. ergo nuptiæ potius ſunt iuris gentium, quàm naturæ: confirmatur & alia ratione hoc argumentum. Ius naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit: ſed cætera animalia non vtuntur matrimonio, quod indiuiduam vitæ conſuetudinem continet, ſed vtuntur commixtione confuſa, igitur matrimonium non eſt de iure naturæ. Huic difficultati Accurſius, Bartolusque reſpondent, non actum ipſius matrimonij eſſe iuris naturæ, ſed ipſum motum ad actum. Vnde ipſi poſſe deduci putant, ad peccatum iure naturali moueri nos, idque probari aiunt, in Auth. de reſtitu. & ea quæ par. §.

vnum

vnũ,collat. 4. quibus ego minimè aſſentior. Nam ſi inclinationes ad actum, coniunctioneſque dedit ipſa natura, & ſecundùm naturam oportet, ſit ipſe actus, quando id ad quod aliquid ordinatur, prius neceſſariò eſſe in agẽte probatur in auth. multò magis. C. de ſacroſan. eccleſ. Quin & carnalẽ coniunctionem dedit ipſe actus naturæ, & iuris naturalis eſſe probatur, in prædictis cap. debitum, & cap. gaudemus. Et aperte iuriſcõſultus ait. Hinc deſcendit maris, atque fœminæ coniugatio, quam nos matrimonium appellamus. *In illa verò opinatione cõfutãda, dũ aſſerunt ad peccatũ naturali iure moueri nos, diutius morari nõ neceſſe habeo, cùm Vldaricus Zazius dicat, cõmuniter illã opinionẽ repudiatã, & apertis tibijs aduerſus eos agat ibi Fortunius, eorum reſpondens fundamentis, qui aliter hunc expedit nodum, dicens, ideo matrimonium eſſe de vero, & proprio iure naturali, quia in ſtatu integræ naturæ fuit cõtractum in paradiſo terreſtri, Gen. cap. 2. & refertur in cap. 1. de vot. & vot. redempt. lib. 6. Idq; ob id, quia inſtinctu rationis primus parens, ſtatim vt vidit vxorem ſibi creatam, contraxit matrimonium his verbis.* Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne

mea,

mea,quamobrem relinquet homo patrem,
& matrem,& adhærebit vx ori ſuæ. *Cum igi-
tur inſtinctu naturæ,inquit Fortunius,hæc dixerit,
ac matrimonium contraxerit,neceſſe eſt,id eſſe iu
ris naturalis.Conſiderandumq́, valdè monet,acci
diſſe illud in ſtatu naturæ perfectæ,non corruptæ.
De qua ego ſolutione,quid ſentirem, apertiùs di-
cerem,ni vererer ingrati nomen ſubire. Fuit enim
mihi Fortunius parentis loco,meo verò patri,eo et
amicitiæ,& familiaritatis gradu coniunctus: vt
ſi quidquam Fortunio detraxerim,& patris irã,
& vtriuſque manes reformidem. Quapropter
illius ſententiæ iuditio prætermiſſo,verba illa Vl-
piani,*Hinc deſcendit maris,atque fœminę cõ 26
iugatio,quam nos matrimoniũ appellamus,
*ita intelligi poſſe cẽſerem,vt quãuis omnium ani-
malium communis natura ſit,ſintq́, quædam &
inter ſe animalibus reliquis,& cum beſtijs homini
communia,extrema tamen, & ſumma,diſtincta
inter animalium genera,& diſpertita ſint,& ſua
cuiq́, propria,& ad id apta, quod cuiuſque natu-
ra deſiderat.Nam vt omnium artium rectè dici
poteſt commune eſſe,vt in aliqua ſcientia verſe-
tur,ſcientia autẽ ſua cuiuſque artis eſt: ſic & ma*

ris & fœminæ coniunctio omnium animalium ſecundùm naturam eſt, ſed naturæ diuerſæ ſunt: vt aliud equo ſit natura, aliud boui, aliud homini, & tamen in omnibus ſumma communis. Quare cùm dicimus præcepta iuris naturalis omnibus animãtibus, quæ in cælo, quæ in terra, quæ in mari naſcuntur, communia eſſe, non ita accipiendum eſt, quaſi dicamus vnum eſſe omnium extremum: ſed ita eis hunc appetitum conſeruandi ſui, tuendiq; vitam à natura datum, vt ſimili, non eodem fine cuſtodiant ſe, quàm in optimo ſui generis ſtatu: ſicq; maris, & fœminæ cõiunctionem, liberorumq; procreationem, ita naturam omnia animalia docuiſſe, vt ſeruent tamen illam ſpecies, vna quæque, vti naturalis ei inſita ratio perſuadet. Quo fit vt non ſolùm homines, ſed & animalia quædam, in quibus ad educationem prolis eſt inſita ſollicitudo, ſeruent quoque hanc indiuiduam coniunctionem, vt turtures, & columbæ, quæ autore Plinio, coniugij fidem non violant, communemq; ſeruant domum. Ea enim ſunt vnicuique generi de iure naturali, quæ ratio naturaliter demonſtrat eſſe conuenientia, & vtiliora ad conſeruationem eius ſpeciei. Vnde cùm ratio apud homines naturaliter videat,

deat, ad procreationem, & conſeruationem generis humani, coniunctionem vnius ſolùm ad vnã decẽtiorem eſſe, eam naturaliter apprehendit, vti ſtirpem, ex qua maximæ oriantur amicitiæ cognationum, vt & ſalua ſit, & in genere conſeruetur ſuo. Vndè meritò reprehenduntur Bald. in. l. 1. §. ius naturale. ff. de iuſt. & iur. & Ioan, de Plat. inſtit. eod. tit. in prin. qui fornicationem aiunt eſſe iuris naturalis, ſententiam iam pluribus damnatam iuribus. c. 2. 1. diſt. & c. non eſt peccatum. §. in lege diſt. 6. & c. prædicandum. 22 q. 1. talique ratione facilè reprehendendam. Si procreatio, educatioq́ liberorum hominibus naturalis eſt, vt certè eſt. d. §. ius naturale, & etiam ſucceſsio, vt in. l. cum ratio. de bon. damnat, hæc autem eſſe non poſſunt, ſi coitus incertus eſſet, ac vagus: ergo & media, per quæ ad hæc peruenitur, id eſt, matrimoniũ, certæq́ nuptiæ, eiſdẽ hominibus, eiuſdem iuris naturalis erũt. Sẽper enim in promptu illud habendũ eſt, quã tũ natura hominis, pecudibus, cæteriſq́ brutis animantibus antecellat: illæ enim nihil ſentiũt, niſi voluptatẽ, ad eãq́ feruntur toto impetu, hominis aũt mens diſcendo alitur, & cogitãdo ſemper aliquid aut inquirit, aut agit. Quòd ſi quis malo cultu

eſt paulò ad voluptatem propẽſior, modò ne ſit ex
pecudum genere, quãuis voluptate capiatur, oc-
cultat, & diſſimulat appetitũ voluptatis, propter
verecundiam. Ex quo intelligitur corporis volup
tatẽ, alio modo cæteris animalibus, feriſq; beſtijs
à natura inſitam, longè aliter homini rationis parti
cipi, ab eadem natura conceſſam, neque extra ma-
trimonium, & legitimas nuptias, ſatis eſſe dignam
hominis præſtantia, ſed potius cõtemni eã, ac reij-
27 *ci ab eo oportere. Illud iã ſequitur, vt videamus,*
quæ corpori ſint tribuenda, & quantũ eius cauſa
laborare hominem deceat. Quia verò innumera-
bilia ſunt, quæ hac de re dici poſſunt, omiſſis cæteris
omnibus, illud vnum veluti regula ſit, in omnibus
rebus, vel appetẽdis, vel repudiãdis, vniuſcuiuſq;
rei dignitatem æſtimandam eſſe, vt ſemper hone-
ſtas vtilitati præferatur, ex duobus honeſtis, vtrũ
honeſtius: ex duobus vtilibus, vtrum vtilius ſit cõ
ſideretur. Si enim pro conſeruanda minori, ac vi-
liori re, quæ potiora ſunt amitteremus: ſi pro cõſer
uanda re propria, hanc humanitatem, coniunctio-
nemq; communem violaremus, iuſti nequaquam
28 *eſſemus. Vnde multorum iurium ratio, legumq; de*
ducitur, atque eius maximè, quæ vim vi repellere
per-

permittit:utq; vim, atque iniuriam propulſemus, contendit, qua de re, et ſi multa à doctoribus pro certo ſunt tradita, quæ ſaltem in dubium reuocari poſſent, verùm eius tantùm rationis exordium examinabimus, quà eũ nobis interimere licet, qui vitæ noſtræ finem intẽdat: vt ea cognita, facilè perſpici poßit, ita ne latè pateat, & ſit eius rationis adeo ſpatioſus cãpus. Plato lib. 9, de repub. (vt & autor eſt Cicero lib. 1. Tuſcu. quæſt, tres partes animi dixit eſſe, cuius principatũ, id eſt, rationẽ, in capite, ſicut in arce poſuit, & duas reliquas ſuperare voluit, iram, & cupiditatẽ, quas ſuis locis diſtribuit: irã in pectore, cupiditatem ſubter præcordia locauit. Ex quibus intelligendum eſt, datas eſſe à natura animantibus appetitiouẽ, declinationemq; vt altera conatum habeant ad naturales paſtus, quæque ad propriã attinent cõſeruationẽ exoptẽt, appetãtq;: altera ſecernãt peſtifera à ſalutaribus totoq; pectore, ac viribus ea declinent, quæ nocitura videntur, audacterq; reſiſtant, ſi pericula ſibi quis intendat: atq; idẽ hominibus, & à natura inſitũ, & à ratione conceſſum eſſe, imo præceptũ, vt rationi appetitus inſeruiant, concupiſcibilis quidem, quæ ad vitã ſunt neceſſaria concupiſcens: iraſcibilis aũt

*lis autem quidquid huic vitæ, & cōſeruationi offi
cit, & damnum dat, repellens omninò, & ſeſe pro
totius, ſcilicet animi, & corporis cōſeruatione, for
titer quibuſuis opponens periculis: quod omninò iu
ſtum, æquū, & naturale eſt. Qui igitur me oppu-
gnat, nititurq; interficere, ille iniuſtè, & iniquè agit
quapropter cùm in repub. cōmunioneq; hominum,
meæ vitæ ad illius vitā ſit æqua proportio, ille me in
iuſtè inuadat, ego me iuſtè defendam, poſſum omni
naturæ, iure, & æquitate permittente (dūmodo de
fenſionis limites nō trāſgrediar) illius interitu, ac
ſepultura, meā lucem, vitāq; redimere. Et hæc eſt
decidendi ratio. l. vt vim. ff. de iuſt. & iur. l. 1 ff. de
vi & vi. armata. l. iniuriarū. ff. de iniurijs. l. itaq;
l. ſed & ſi. ff. ad l. Aqui. c. ſignificaſti. de homic. c. ſi
verò de ſent. exco. & c. ius naturale diſt. 1. Quibus
iuſtiſsimè diſponitur, vbi legibus vti non licet, vbi
importunū hoſtem iudicio frangere non poſſumus,
vbi iudicia ipſa vis impedit, ac tollit: audatiā vir-
tute, furorem fortitudine, temeritatem cōſilio, ma
num manu, vim vi ſuperare licere. Ea nempe cau
ſa, quòd in hominum, (vt dixi) communitate, in pa
ri ſit gradu, atque ordine, vtriuſq; hominis vita,
29 atque ſalus. Hæc verò ratio, quàm cæteris opinio-*

nibus

bus nō ſuccurrat, facilè cuiuis licet perpendere. Liceat ne ei, cui dictum eſt, mihi vindictã, & ego retribuam, & iterum, ſi quis te percuſerit dexteram maxillam, præbe ei & alteram: pro innani, mundanoq; nomine honoris (qui niſi virtutē tanquam vmbra ſequatur, comeſq; ſit rectè factorū, nihil profectò in ſe habet cur expetatur) eū vita priuare, quo cū arctiſſima natura, cæleſtiq; coniunctione coniunctus eſt, dumq; caduca, mortalia, & vilipendēda fortunæ bona is defendit, cui dictū eſt, ne de craſtino curet: ſanctã, inuiolabilemq; naturæ ſocietatem violare: non ea res eſt, quæ tranſcurſim tractanda, examinandaq; ſit: dabitur aliquãdo fortaſſe locus, quo hæc curioſius poſſimus cōquirere. Propriam enim vitam, ſalutem, & incolumitatē, alterius vitæ, ſaluti, & incolumitati præferre, natura præſcribit, nulla lex vetat. Vt de ſua quiſque fama, honore, & gloria, potius quã vicini laboret, natura cuiq; inſitū eſt, omniq; iure cōceſſū. Atq; vt ſibi quiſq; malit, quàm alteri acquirere, cōceſſum eſt, non repugnãte natura, ea tñ lege, vt in hiſce rebus iuſti ſeruētur gradus, & vniuſcuiuſq; pondus æqua lãce pēſetur. Detrahere enim alteri ſui cōmodi cauſa, magis quã mors, quã dolor, quã

cætera generis eiuſdem contra naturã eſſe, omnes philoſophi tradiderunt, & legibus non ſolùm natura, vel gentium, ſed etiã populorũ, quibus ſingulæ ciuitates vtũtur, cõtinetur. Sed de his hactenus. De hac enim re ſtatutum eſt, ampliùs pronuntiare, vt quodcũq; maximè probabile occurrerit, id pro meo iure, quouis tempore liceat defendere. Sat eſt intelligi id ſumere iſtos pro certo, quod dubium controuerſumq; ſit. Illud vnum non omittam, quod Auguſt. ſcripſit lib. 1. de lib. arbit. Quomodo, inquit, apud diuinam prouidẽtiam à peccato liberi ſunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti ſunt? caput verò illud, quod plerique doctorũ pro ſe allegãt, ſcilicet, interfeciſti, *de homicid, optimum eſſet fundamentum eorũ, qui contrariã opinionem tueri vellent, & ſuſtinere: cùm ſint apertiſſima reſcripti verba dicentis.* Si autẽ ſine odij meditatione, te, tuaq; liberando, huiuſ diaboli membra interfeciſti. *Non dixit bona tua defendendo: ſed quod longè diuerſum eſt,* te, tuaq; liberando. *Et ne quis hæc paradoxa putet, licet illam gloſſæ ſentẽtiam (quòd pro defenſione rerum liceat occidere, teneat Bart. in. l. 1. C. vnde vi, & dicat eſſe cõmunem opinionẽ Iaſſo. in. d. l.*

vt vim

*vt vim num.23.& Decius num.31.contrariã ta-
men ſcilicet quòd pro defenſione rerum,non liceat
quemquam occidere,firmant Anania,& Panor-
mit.in.c.2.de homi.quos acriter defendit,& reſpon
det contrarijs Fortunius,in d.l.vt vim,dicitq; eſſe
commune ſcitum Canoniſtarum Felin. in.c.2.&
in.c.ſuſcepimus,& in.c.petiero de homici.&,dd.in
clem.1.eod.tit.Vnde ad illam quæſtionẽ inferri ſo-* 30
*let,an is cui aqua,igni,tecto,interdictũ eſt,ſi quiſ-
quã eum velit offendere,poſſit ſe iuſtè defendere.
Cui facile reſpondetur,ex communi omnium iuri-
ſperitorum ſententia,dicentium, quòd banniti ſe
iuſtè defendunt,repelluntq; armis,offendere volen
tem,ea nempe cauſa,quia defenſio eſt iuris natu-
ralis,deportati verò,ſeu banniti non amittunt ea,
quæ ſunt iuris naturalis:vt probatur in.l.quidam
ff.de pœn.& docent Bart.in.d.l.vt vim,& Fortu.
in.l.gallus.§.& quid ſi tantũ.ff.de lib.& poſthu,&
in.l.conuentionum.ff.de pact.De adultero quoq; ſe* 31
*defendente,quid ſit dicendũ,traddũt Fortunius in
d.l.vt vim,& in tract.de vltimo fin,vtriuſque iu-
ris, illatio.11.nu.139.& Anto.Gom.in cõmen. ad
l.80.Tauri.Illud verò notãdum,quòd qui ſe defen
dit,etiam ſi modũ defenſionis excedat, quãuis in* 32
eo quod

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

eo quod excedit, iniuſtè agat, non tamē punitur pæna ordinaria, propter initium iuſtum, & occaſionē initio iuſto ſumptam, vt patet in. l. ſi adulterium. §. ſi imperatores ad l. Iuli. de adulterijs, & in. c. ſignificaſti de pæn. et remiſſio, & in. l. nec timorē. ff. quod metus cauſa. Imò quāuis adulter, vel fur occaſionē dederit, iuſtè timet, nec valēt promiſſiones, quas timoris cauſa fecerit: quā concluſionem explicant Bald. & recentiores in. d. l. vt vim. Quod autem Lanfran. Balbus in deciſio. ſuis centu. 4. deciſione 360. dicebat, eum qui occidit, ſe defendendo, nō puniri morte, ſed aliter, etiam defenſione non probata, quod idem ſentire videtur Guillel. benedict. in rep. c. Raynutius, de teſtam. in parte, qui cū alia: *ego non ita facilè aſſeuerarem. Illud certius eſt, de*
33 *fendentem ſe ipſum non peccare, adeo quòd etiam ſi occidat, vel membrum abſcindat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Quam cōcluſionem examinare non neceſſe eſt, cùm habeamus iam conſtitutam authoritatē Pontificis, apertè id diſponētis in clem. 1. de homici. ante quam nonnulli contrariū tenebant. Neque illud quoq; tēpus eſt diſcutiendi, quod glo. in verb. nā iure, ait, leges has iure fori procedere, ſecus verò eſſe iure poli, innuens peccare ſe defen-*

defendentem: cùm licet ei conſentiãt Iaſſo.colu.5. Bart.in.l.1.§.ſi quis ſimpliciter.ff.de verbor. oblig. & Abb.in.c.2.de homici. Contrarium tamen mul tis tenent rationibus Paulus, Ange. Deci. Fortu.in d.l.vt vim, Anani.in.c.ſicut dignũ, nu, 43. de homici. & Bald Peruſi.in.l.1.num.48.colu.8.C. vn de vi. Cæterum quod ad illud attinet, vnde princi- 34
pium, & fundamentũ ſumitur harum omniũ ſen tentiarum, diſputationumq́ꝫ, quòd Vlpianus inter ea quæ iuris gentium ſunt, retulerit, vt vim, atque iniuriam propulſemus, cùm apertiſſimè conſtet, defenſionem, tuitionẽq́ꝫ ſui, eſſe iuris naturalis, omiſſis multorum ſententijs, & ad hanc diffinitionem ampliationibus, & limitationibus, duplici id modo poteſt intelligi. Primùm, quòd quãuis defenſio ſit propriè iuris naturæ: quod negari non poteſt, ſiquidem dente lupus, cornu taurus petit, quod vnde, niſi intus monſtratum? quia tamen vſu gentium id tenetur, & ab vſu gẽtium ſumit authoritatem, iuris gẽtium id eſſe dicitur. Decius aliter, ſcilicet defenſionem ipſam iuris quidem naturalis eſſe, omnibuſq́ꝫ animãtibus communem: iniuriam verò, quæ ex præcedenti vi reſultat, eſſe iuris gentium. Mihi prima ſolutio magis placet.

De

1 *VBI iuſtitiæ munus eſſe, ſuum cuique tribuere, probatum eſt, quidque animo dandũ, quid corpori tribuendum, oſtendimus, illud noſtri muneris eſſet, de duabus iuſtitiæ partibus agere, diſtributiua ſcilicet, & commutatiua. Cùm enim in repub. in qua iuſtitia æquitatẽ conſtituit, duplex ſit ordo, videlicet totius ad partes, & partiũ inter ſe, neceſſe eſt duobus illis ordinibus, duas itidẽ iuſtitiæ partes adaptare, docẽte Ariſt. lib. 5. eth. cap. 2. Nec eſt quod moremur in refutãdis quorũdã vanis opinionibus, quibus hæc philoſophi ſentẽtia diſplicet. Pars illa iuſtitiæ, quæ eſt totius ad partes, put à quæ cõmunia bona ciuib⁹ diſpẽſat, nominatur diſtributiua, altera, quæ æquitatẽ ſeruat inter partes, nũcupatur*
2 *cõmutatiua. Vtriuſq; aũt iuſtitiæ, tã diſtributiuæ, quã cõmutatiuæ mediũ, æqualitas: æqualitatis verò nõ eadẽ ratio, & proportio. Vel enim cõſtituitur inter dantẽ, & accipientẽ, vt quantũ accipiẽs accipit à dãte, tãtũ accipiat dãs à recipiẽte, quæ æqualitas in emptionibus, vẽditionibus, retributionib⁹, iuſtitia cõmutatiua vocatur: vel alio modo conſtituitur æqualitas inter duos, quorũ quilibet eſt recipiẽs*

quia

quia vterq; recipit menſuram,iuxta ſuam condi-
tionem æqualiter,quamuis in re recipiat inæquali
ter,& in hoc conſiſtit diſtributiua. Atque ex hoc 3
patet duplex differentia vtriuſque iuſtitiæ: prima
quòd commutatiua eſt æqualitas quantitatum in
datis,& acceptis: ex eo nẽpe quia recuperat dans,
quantum dedit. Sicuti cùm vẽdit quis equum,qui
valeat centum aureos,equi cum pretio iuſta com
mutatio eſt. Inter quos verò non poteſt eſſe æqua-
litas in datis,& acceptis,non reperitur propriè iu-
ſtitia commutatiua. At iuſtitia diſtributiua nõ re
quirit æqualitatẽ quantitatum, ſed proportionis.
Non enim oportet quòd diſtribuens bona commu
nitatis,eandem quantitatem det omnibus: ſed cui
libet ſecundùm ſuam proportionem,cùm aliud de
beatur præmium equiti,aliud gregario militi. Al-
tera differentia eſt,quòd iuſtitia diſtributiua pri-
mò reſpicit proportionem perſonarum,ex qua con
cludit proportionem rerum diſtribuendarum, ſe-
cundùm debitam cõditionem perſonæ. Iuſtitia ve-
rò commutatiua primò reſpicit habitudinem rei
ad rem,vt patet in emptionibus,& venditionibus:
vel habitudinem actus ad paſſionem,vt in iniurijs
vindicandis,ſeu puniendis. Ad conditionem aũt
perſonæ

perſonæ nunquam propriè reſpicit, ſed ex conſe-
quenti, quando conditio perſonæ adauget quanti-
4 tatem rei, vel iniuriæ. Quo fit, vt maior iniuria ſit
magiſtratum, quàm priuatum percutere. Vt has
autem propoſitiones iuri noſtro adaptemus, ſcire
oportet iuridicialem cauſam eam eſſe, in qua æqui
& iniqui natura, præmij, aut pœnæ ratio contine-
tur. Quod aperte firmat iuriſconſultus dicẽs, bo
ni & ęqui notitiam profitemur, ęquũ ab ini-
quo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernen-
tes, bonos non ſolùm metu pœnarum: verùm
præmiorum quoq; exhortatione efficere cu
pientes. Quod dicere, nihil aliud eſt, quàm iuſti,
tiam, vt nos ſuprà fecimus, in commutatiuam, &
diſtributiuam diuidere. Omnis enim & præmij, et
pœnæ ratio, ad diſtributiuam pertinet, æqui verò,
& iniqui natura, ad cõtractus, & commutationes
attinet, de quibus tot, tantiſque, ac tam innume-
rabilibus iuriſconſultorum libris agitur. Cæte-
rum præmiorum, pœnarumq; ſilua latiſſima eſt, de
5 qua nos poſtea nonnulla dicemus. Nunc vnum
tantùm, atque alterum diſtributiuæ exemplũ pro
ponamus. Iulianus iuriſconſultus in. l. 13. ff. de lib.
& poſthu, acutiſſimè ita ſcripſit. Si ita ſcriptũ ſit,
ſi filius

ſi filius mihi natus fuerit, ex beſſe hæres eſto: ex reliqua parte vxor mea hæres eſto, ſi verò filia nata fuerit ex triente hæres eſto: ex reliqua parte vxor hæres eſto. Si filius & filia nati eſſent: dicendũ eſt aſſem diſtribuẽdũ eſſe in ſeptẽ partes: vt ex his filius quatuor, vxor duas, filia vnã partẽ habeat. Ita enim ſecundùm voluntatẽ teſtantis filius altero tanto amplius habebit, quàm vxor: item vxor altero tanto amplius habebit, quàm filia. *Cuius diſtributionis ratio èx ſuperioribus apertiſsima eſt. In hac enim ſpecie iuſtitiam conſtituit teſtatoris voluntas, quam pro lege ad vnguem ſeruari, iura conſtituunt. Voluntatem autem teſtantis eam eſſe conſtat: vt mater duplum habeat ad filiam, filius verò duplum habeat ad matrem. Si & filius, & filia nati ſint, minimos numeros quærere oportet, & ſecundùm eos partiri. Sunt autem in hac hypotheſi minimi numeri, vnum filiæ, duo matris, quatuor filij. Qui ſimul omnes collecti ſeptem efficiunt. Alterum exemplum eſt in. l. 80. ff. de leg. 1.* Is, *inquit*, qui ſola triginta reliquerat 6 Titio triginta legauit, Seio viginti, Mæuio decẽ. Maſſurius Sabinus probat Titium quindecim: Seiũ decem, Mæuiũ quinq; cõſecuturos.

Ad

*Ad quam formam & mille aliæ cauſæ facilè poſ-
ſent proponi, nulloq; negotio in eis recta diſtributio
conſtitui. In commutatiua multò aliter ſe res ha-
bet. Debitum enim inde conſurgit, quòd res fuit ab
7 altero poſſeſſa: ergo nullo habito meritorum, perſo-
narum reſpectu, oportet vnicuique tantũ referri,
quantũ ipſe contulerat, vt verbi cauſa. Quintius
atque Sulpitius cùm ſocietatẽ inirent, vterq; quin
que habebat, mutuo Sulpitius vnum Quintio de-
dit, vnde duo hic plura, quã ille habet: exigit iuſti-
tia cõmtatiua, vt Quintius Sulpitio, quod ſuũ eſt
reddat, quodque mutuo acceperat, ſoluat, nulla
perſonarum qualitate, aut cõditione æſtimata. Ea
ratione, quòd inter quoſcunq; lege, aut more cõtra
ctus celebratur, commutatiua iuſtitia non debet
variari. Si Sempronius Titio ſeruum vẽdat, quin
quaginta æſtimatum aureis, quinquaginta aureos
reddere Titium Sempronio æquũ eſt. Quòd ſi ille
pro mancipio, equo, veſte, domôue plus exigat, quã
iuſta æſtimatione res valeat, iniuſtè agit, nec minus
ille, ſi viliori pretio, quam æquũ eſt, emat. Hic enim
eſt finis cõmutatiuæ iuſtitiæ, vt in emptionibus, ven
ditionibus, permutationibus, cæteriſq; contracti-
bus, æqualitas omninò ſeruetur. Vnde formulæ illæ
in arbi-*

in arbitrio rei vxoriæ. Melius, æquius. *in fidutia.* vt inter bonos bene agier oportet, & ſine fraudatione. *& illa etiam in contractibus.* vti ne propter te, fidemûe tuã captus, fraudatusûe ſim. *Atque hæc quidem ſatis de hac iuſtitiæ diuiſione: nam quod de proportionibus Geometrica, & Arithmetica hac occaſione diſputari ſolet, reliquaſq; huius virtutis partitiones, non eſt cur referamus, quæ à multis, & philoſophis, & iuriſconſultis ſunt tradita: interq; reliquos à Coraſio de iuris arte. 1. part. c. 23. & Roſcio lib. 2. memorabiliũ. c. 2.*
8 *Ex quibus omnibus ad explicationem deueniendũ eſſet l. in cauſæ. §. idem Pomponius. ff. de minor. & l. item ſi quæritur. §. quemadmodum. ff. locati. vbi Paul. & Vlpianus aſſerunt, in pretio emptionis, & venditionis naturaliter licere contrahentibus ſe circumuenire. Quod Fortunius intelligit in tractatu de vltimo fine vtriuſq; iuris, illatio. 17. colu. 62: nu. 197. vt quemadmodum in emendo, & vendendo naturaliter conceſſum eſt, quod pluris ſit, minoris emere, quodq; minoris ſit, pluris vendere, ita inuicem circumuenire. Circumuentio ergo debet eſſe ſecũdùm licentiã naturalem, quæ eſt, vt pluris vendatur. Itaque intelligendum eſt, non licet naturaliter*

liter, ſe circũuenire: ſed licet, ſe circumuenire n a turaliter, ideſt, circũuẽtione naturali, abſq; fraude dolóue. Aliter intelligit Didacus à Couarruuias ex theologorum, ac iuriſperitorũ doctrina conſiderans, quòd iuſtum pretium rerum nequaquam cõſiſtit in puncto indiuiduo, ſed in mediocritate quadam, quæ latitudinem habet per gradus, eſt enim cuiuſque rei pretium triplex: ſupremum, infimum medium. Nec poteſt accidere rem aliquam ita præciſè valere centum, vt nec valeat plus, nec minus, valet namque pretio medio centum, pretio ſupremo centum & quinque, infimo nonaginta quinq;, atque in hoc triplici pretio, iniquitatem negat poſſe conſiſtere. Quomodo affirmat intelligẽdum quod in prædictis iuribus dicitur, licere naturaliter contrahentibus in pretio emptionis, & venditionis ſe circũuenire, modo ea deceptio, intra latitudinem iuſti pretij, & eius mediocritatem contingat, alioqui licere non poſſe naturaliter, neque vlla lege probari. Vel iuriſconſultorum reſponſa, ad mutuam, tacitamq; contrahentium indulgentiam pertinere ait, quæ condonare videtur, ob naturam cõtractus modicam læſionem. Siquidem impedirentur commertia, ſi ſemper exacta illa pretij æqualitas foret anxiè,

anxiè,& ſcrupuloſè conſideranda. Aliter quoque rem iſtam explicat Domini, Soto lib. 6, de iuſt. & iur. q. 2. art. 3. dicens ſenſum illorum iurium non eſſe, vt cæteri putant, intra latitudinem iuſti pretij, quia intra hos carceres nullum habet locum deceptio, neque vlla opus eſt remiſſione, cùm tota latitudo iuſta ſit. Sed intelligendum citra dimidium iuſti pretij, & ideo ait naturaliter, quia humanum ingenium, lucri auidum, in culpa eſt. Quare, licere, illic non eſt idem, quod ſine culpa, ſed impunè in humano foro. Quorum omnium ſententiæ Ario Pinelo non placent, qui bonis rationibus, et authoritatibus interpretatur, naturaliter, id eſt iure gentium, in prima parte. c. 1. numer. fina. l. 2. C. de reſcind. vendi. Legitimè autem fieri poſſe hanc interpretationẽ multis exemplis docent Coraſius de iuris arte. 2. parte. c. 5. & Rſocius libr. 2. memorabi. c. 7. & 8. Poſtremò Antonius Meneſius in. l. 2. C. de reſcind. vend. nume. 10. ſex modis hunc nodum explicat eleganter. Atque de ea re hactenus. Nunc quando præclariſſimam omnium virtutum iuſtitam, ſuum cuique reddere mõſtrauimus, de iure, id eſt de arte, qua id fit, pauca dicamus.

1 NAM vt eleganter Celſus definit, ius eſt ars boni, & æqui. *Quam diffinitionẽ adeò multis modis noſtri dd. contorquent, vt ſingulas eorum ſententias referre, ſingulaq; argumenta re-*
2 *fellere, quaſi Hydræ capita eſſet amputare. Accurſius & Vacca artem, ideſt ſciẽtiam finitam interpretantur. Alij artem, ideſt hominis artificium, exponunt. Corſa, de iure ciuili in artem redigen, artem, hoc eſt collectionem, ac ſcientiam omniũ præceptorum boni, & æqui intelligit: alij artẽ, pro exercitio, vſurpant. Loriotus Saliniẽn, artẽ pro recta rei faciẽdæ ratione, ſeu præceptione accipit: vt ſenſus ſit, ius eſt recta boni, & æqui faciẽdi præceptio. Quòd verò ad bonum, & æquum attinet, Budæus æquitatem intelligit, Loriotus æquum à bono differre exiſtimat, vt ſpecies diſtat à genere, ſed vbi bonum, & æquum dicitur, pro ſola æquitate accipiendum docet: & bonum, maioris tantùm declarationis cauſa poni, quoniam copula, &, poſita inter genus, & ſpeciem, genus ipſum per ſpeciem reſtringere, & declarare ſolet. Alciatus bonum ab æquo, Accurſium ſequutus, ſeparauit. Zaſius nos iubet*

iubet intrepidè tenere contrariam ſententiam, interpretaturq́; ius eſt ars boni, & æqui, ideſt regula iuſtitiæ, ad temperamẽtum comparata. Antonius Vacca ius tãtum ciuile diffinire Celſum putat: et artẽ boni, & æqui, ideſt æquitatis, & iuſtitiæ. Marius Salomonius dum pleniorem ex ſuis problematibus ſubit interpretationẽ, quid cauſæ eſt, inquit, quòd Vlpianus, ſiue Celſus ius artem appellat, & nõ ſcientiam? de officio, reſpõdet, boni viri Celſus loquitur, quod in actiõe verſatur: ideo ius eſt ars, intelligo exercitiũ boni, & æqui viri, veluti virtus dicitur ars boni hominis, philoſophia ars ſapientiæ ſtudioſi, & iniqui ars nequitiæ. Nõ enim de iuriſcõſultorũ hic agitur ſciẽtia, quæ eſt, nõ ignorare quid quid legibꝰ ſcriptũ, prudẽtiúmue authoritate digeſtũ eſt, in qua cognitione nullũ artificiũ requiritur, præter aſſiduã lectionẽ. Ars itaq́; iuriſcõſulti, ideſt boni, & æqui viri, in æquitate colenda cõſiſtit, quæ nullo ſcripto, ſed ſola recta ratione cõtinetur, & ingenio ſapiẽtis cõcipitur, duce iuſtitia, atq́; magiſtra, hæc Marius. Ferrarius autẽ Montanus bonũ ab æquitate quodãmodo ſeparare videtur, cùm ait, certè quòd boni ſimus, ad nos quoq́; redũdare ſolet, quòd verò æqui, ad alterũ tãtùm, id quod præcipuè,

D 3 *iuſtitiæ*

*iuſtitiæ munus eſt. Coraſ. boni, & æqui, inquit, hoc
eſt, iuſtitiæ, et æquitatis, nõ verbis, aut literis legũ
concluſæ, ſed in mente, ac ratione legis poſitæ: hanc
eſſe ait benignã iuris interpretationẽ, cui ſtrictum
ius oppoſitũ ſit. Quid referã, quod obſcuris ſenſi-
bus, & tenebricoſis, Bart. hoc loco de materia copu
latiuæ diſputat? Quid eloquẽtiæ plenã Paul. Ca-
ſtrẽn. inuectiuã cõtra idiotas mercatores recenſeã,
qui ſe æquitatis magiſtros prædicant, atq; legiſperi
tos cõtẽnunt, dicẽtes, quòd vadũt per cauillationes?
Quid Alberici tranſcribã interpretationes, ac cõ
menta, meo certè rudi ingenio, adeò flexiloqua, &
tortuoſa, vt interpres egeat interprete? Quid illã
Baldi indoctã, ne dicã turpem, aſſertionẽ reprehen
dã, qui dum materiã copulæ intrare feſtinat, illud
quod minimè decebat, fatetur: leges quaſdam eſſe
bonas, æquas verò minimè, aliaſq; reperiri æquiſſi-
mas, quæ certè bonæ nõ ſint. Dies me primùm defi
ceret, quàm hæc mõſtra numerarẽ, nõ dico ſupera-
rẽ. Ego ſic exiſtimo, agi hìc nõ de iure publico, vel*
3 *priuato, non de iure ſtricto, neq; bona fide, non de iu
re naturali, neq; ciuili: harũ omniũ enim partium,
genus, eſt ipſum ius per ſe ſumptum, et vti ſupre
ma omniũ regula cõſideratum. Quapropter am-
pliori*

pliori nos modo cõſideremus, ſi quicq̃ ꝓficere poſſi- 4
mus. Deũ, nõ aliud quippiã cauſam eſſe cõdẽdarũ
legũ, legumq; latores, non ad aliud, q̃ ad amplitudi
nẽ virtutis ꝓſpicere oportere, vt eis vtentes, beati
efficiantur: vel hi, qui philoſophiã ſupremis labris
guſtarũt, nõ ſolùm qui ſe benè intus inſinuarũt, nõ
dubitant. Quo fit, ut id maximè legũlatoribus ſit
curandũ, ſi quid modò ꝓfuturi ſunt, vt ſenſim in
ciuitate, bonũ et æquitatẽ diſſeminent: quæ ſi ciues,
vel præmiorũ expectatione, vel pœnarum metu ob-
ſeruauerint, et coluerint in beata Repub. beatam
prorſus, atq; felicẽ vitã degant. Sunt aũt bona du
plicia: alia humana, diuina alia, pẽdentq; à diuinis
humana. Si qua verò ciuitas maiora ſuſcepit, mi- 5
nora quoq; poſſidet: ſin aũt illis caret, vtriſq; priua
tur. hæc bona Plato lib. 1. de. ll. ita partitur, Mino-
rum, inquit, primum eſt ſanitas, forma ſecũdum,
tertium vires ad curſum, cæteroſq; corporis mo-
tus, quàrtum diuitiæ, quæ cæcæ non ſunt, ſed acutè
cernunt, ſi prudentiam ſequũtur. Quæ quidẽ pru-
dentia, diuinorum bonorum dux prima exiſtit.
Deindè poſt mentẽ temperatus animi habitus. Ex
his duobus, cum fortitudine mixtis, iuſtitia tertiò
emergit. Fortitudo quartum tenet locum, quæ

tur, cæterarũ rerum, quanti damnũ datum, factũ ue eſſet, dupli. Quin & Paul. I. c. vel ipſas delicias nobis quærere, et procurare videtur in. l. 1. ff. de extra. cri. fit (*inquit*) iniuria cõtra bonos mores, veluti ſi quis fimo corrupto aliquẽ perfuderit, cęno, luto oblinuerit, aquas ſpurcauerit, fiſtulas, lacus, quidue aliud ad iniuriã publicã cõtãminauerit, in quos grauiter animaduerti ſolet. *Cõtra quos ſimiliter et Plato lib. 8. de. ll. ita diſponit. Si quis ſpõte alienã aquã, ſiue ſcaturientẽ è fontibus, ſiue collectã, veneno, aut foueis, aut ablatione corruperit, ad ædiles deferatur, vbi ſi deliquiſſe cõuincitur, dãnum reſtituat, et fontes, aut aquarũ vaſa, vt interpretes ſingulis faciendã ſemper purgationẽ indicauerint, ita purget. De qua eadem re inſignis eſt Imperatorũ Archa. et Honorij diſpoſitio, in. l. cũ ſupra. C. de re mili. li. 12.* Cũ ſupra virẽtes (*aiũt*) fluminũ ripas, omnis legionũ multitudo cõſiſtit, ideò prouida authoritate decernimus, vt nullus omninò immũdo fimo ſordidatis fluẽtis, cõmune poculũ polluat: néue abluẽdo equorũ ſudores deproperans publicos oculos nudatus inceſtet, ſed ꝓcul à cũctorũ obtutibus in inferioribus partibus fluuio-

rum

rũ hoc ipſum faciat. *Vlpia.quoq; quàm ſit de ho minũ ſalute curioſus, et in omni ordinatione poli- tus,perſpicite.is lib. 71.ad edictum.ſiue in.l.1.ff.de Cloac.ita ait.* Curauit autẽ prætor per hæc interdicta, vt cloacæ & purgẽtur, & reficiantᷣ: quorũ vtrunque ad ſalubritatẽ ciuitatũ,&ad tutelã pertinet. Nã & cęlũ peſtilens,& ruinas minãtur immũdicię cloacarũ,ſi non reficiãtᷣ. *Quamobrẽ è Rep.certè ſtatutũ eſt in. l.de pupillo. ff.de noui oper.nun. Si quis riuos,vel cloacas velit reficere,vel purgare,operis noui nuntiationẽ meri tò ꝓhiberi:* cùm publicę ſalutis,& ſecuritatis in
8 terſit,& cloacas,& riuos purgari. *Quid quod in.ll.12. tabularũ ſancitũ erat, in vrbe ne ſepelito. & quod D. Adrian⁹ in.l. prætor ait.ff.de ſepul.vio lat.reſcripto pœnã ſtatuit quadraginta aureorum in eos,qui in ciuitate ſepeliunt,et locũ publicari iuſ ſit,& corpus transferri, mortuorum ne cauſa cre dimus ſtabilitũ, an viuorũ potiùs cõmodo, & ſalu britati cõſultum? innumera certè ſunt, quæ referri poßent, ſi infirmis,& aduerſa valetudine cõflicta- tis,à iure data priuilegia,eßent numeranda. Illud*
9 *ſolummodo ꝓponamus, qđ Iulian. I.C. ſcripſit,in.l. quæſitũ.ff.de re iudi, vt apertißimè pateat, eſſe iu- riſprudentiã,de ciuiũ valetudine mirũ in modum*

ſolici-

ſolicitã, quęſitũ eſt (*inquit*) cùm alter ex litigatorib⁹ febricitans diſceſsiſſet, & iudex abſente eo pnunciaſſet, an iure videret pnunciaſſe, reſpõdit. Morb⁹ ſonticus, etiã inuitis litigatorib⁹ ac iudice, diẽ differt. Sõticus aũt exiſtimãdus eſt, qui cuiuſq; rei agendæ impedimento eſt. Litigãti porrò quid magis impedimẽto eſt, q̃ motus corporis cõtra naturã, quẽ febrẽ appellãt? Igit ſi rei iudicãdę tẽpore, alter ex litigatorib⁹ febrẽ habuit, res nõ videtur iudicata. *Quid nunc oſtendã, morbũ à pœna, à mora, à reſidentia, à datijs, & gabellis, à contumacia, à curſu pſcriptionis excuſare quẽq̃, cui malè ſit? Notiora ſunt hæc, q̃ vt vobis ſapiẽtiſſimis, et eruditiſſimis viris pponẽda ſint. Illa vna re partẽ hãc concludam⁹, quã argumẽto l. huiuſmodi. § legatũ. ff. de leg. 1. notãt Petr⁹, Cyn. Bal. Ange. Nicol de Neapol. et Paul. de Caſ. ſcilicet ꝙ natus extra ciuitatẽ tẽpore peſtis, fingitur nat⁹ in ea ciuitate, qua propter morbum mater aufugerat. Ex qua concluſione inferunt ad ſtatutũ, quo caueretur, nullũ in collegio admitti, niſi ſit nat⁹ in ciuitate, vel niſi ſit ciuis originarius. Quam deciſionem audacter etiã approbant Ioann. de Plat. in l. filios. C. de muni. & orig. lib. 10 et Panor. in. c. Rodolph⁹ de reſcr. Felinuſq; affirmat*

affirmat, fuiſſe practicatũ in ſua perſona quã: opinionẽ cõmuniter dicunt receptã Lancelo Deci.in.l. hæres abſens.§.proinde.ff.de iudic.et Frãc.de Rip. in tractatu de peſte. Hanc aũt concluſionẽ vnã ex multis libuit annotare, quòd videã eſſe vtilẽ, & practicabilẽ, tam in beneficijs patrimonialibus, quã in
11 *pragmatica ſanctione Hiſpana, qua cauetur, ne quis extra Hiſpaniã natus, beneficia eccleſiaſtica, neq; vllos eccleſiaſticos reditus, poſsit in Hiſpania obtinere. Quæ res nõ procederet, ſi morbũ mater aufugiens filium pareret, fingeretur enim ille natus, ſiue in ciuitate, vnde erat oriũdus, ad patrimonialia beneficia, ſiue intra regnum, ne lege regia à fructibus eccleſiaſticis pelleretur. Quòd ſi ſubſiſtente rationis idẽtitate, argumẽtum de morbo ad bellũ valere cõcludunt Bar.in.l.naturaliter.ff.de vſuc. Alex.conſ.30.lib.5.et Panor.conſ.3.& conſ.18.lib.2. notanda certè ampliatio eſt, & vt cauſidici ſolent dicere, de pane lucrando, ad ea quæ paulò ante demonſtrauimus. Sed quandoquidẽ ſatis probatũ eſt id maximè leges nobis cõmendare, vt firmi, valentes, & ſani ſimus, nihilq; à nobis, niſi prorſus confirmatis, cõmodè, & per valetudinẽ iura poſcere, de*
12 *forma iã ſequitur, vt pauca dicamus. Formã vero*

vrbis

vrbis curæ eſſe legumlatoribus Vlpianus lib. 3. opinionum, apertè docet, & in. l. 7. ff. de offi. præſ. dum ait. Præſes prouintiæ inſpectis ędificijs, domi nos eorum cauſa cognita, reficere ea compellat, & aduerſus detrectantem, competēti remedio deformitati auxilium ferat. *& Iulian. libr. 48. ff.* ſicut (*inquit*) is qui nullo prohibente in loco publico ædificauerat, cogendus nō eſt demolire, ne ruinis vrbs deformetur: ita qui aduerſus ædictum prætoris ædificauerit, tollere ædificium debet: alioquin inane, & luſorium prætoris imperium erit. *l. final. ff. ne quid in loc. pub. Et ne in re non dubia pluribus vtar teſtibus non neceſſarijs: quàm multis prætorum, ædilium, aliorumq; magiſtratuū ædictis, pulchritudini ciuitatis, & reipub. caueatur, vel ex pluriſq; Pandectarum titulis, quibus nihil aliud continetur, ſatis conſtat, vt. ff. ne quid in lo. ſacr. vel itinere fiat, de locis, & itineribus publicis, de loco publico fruendo, de via publica, & ſi quid in ea factū eſſe dicatur, de via pub. et itinere publico reficiēdo, de ripa munienda, de riuis, de fonte, de cloacis, de operib. pub. alijſq; innumeris, quibus innumera circa decorum, & ornatum vrbis diſponuntur. Iam*

verò

13 *verò quàm ſit nemini pænitendum, nõ deformem eſſe natum, non eſt quòd pluribus doceamus verbis, cùm videamus ſibi miniſtros deligentẽ, ipſum etiam ſummum opificem, celſa ſuper arce ſedentem, cui ſurgunt omnes de ſedibus altis cælicolæ, ceduntq; patri, neque ſuſtinet vllus in ſolio manſiſſe ſuo, ſed alacres omnes ſtant è regione Dei, ſolus ipſe reſedit celſior editiore throno: Is. c. 21. in Leuitico, Moſem his verbis affatur.* Loquere ad Aaron, homo de ſemine tuo per familias, qui habuerit maculã, non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium eius. Si cęcus fuerit, ſi claudus, ſi vel paruo fuerit, vel grãdi vel torto naſo, ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi iugem ſcabiem, ſi impetiginẽ in corpore, vel hernioſus. Omnis qui habuerit maculã de ſemine Aarõ ſacerdotis, nõ accedet offerre hoſtias dño, nec panes Deo ſuo. *Qua de re ſatis multa in decretalibus, de corpore vitiatis ordinandis, vel nõ, & in decreto. 49. et 55. diſtin, æquiſſimè certè iudicio meo. Quid enim aliud egregia forma ſpecieſq; in adoleſcentia ſunt, quã optimæ indolis, & bonitatis obſides, & fideliſſima pignora? Quòd ſi prauo*

ſi prauo cultu in his aliquando ſopita virtus connuet,& adoleſcentiæ capitur voluptatibus, hilaritate frontis, alacritate oculorũ, habitudine corporis, ac liberalitate vultus totius, qui ſermo quidam tacitus mentis eſt, in errorem impulſos nos, in fraudemq; inductos querimur. Quis enim eſt qui oculis pulchritudinem rerum aſpernetur, quis eſt qui ſuauitatem ingenui vultus excludat? Pulchritudo corporis, apta compoſitione membrorum, cuius nõ mouet oculos,& delectat, hoc ipſo quòd inter ſe omnes partes quodam lepore conſentiunt? Ego certè Socratis de hac re ſententiã libenter amplector. Si quo in homine hæc cõcurrãt, vt in animo pulchri mores inſint,& in corporis ſpecie illis ſingula correſpõdeant, conſentiãtq;, eandẽ ſuſcipientia rationẽ, pulcherrimũ hoc eſſe ei, qui inſpicere poſſit ſpectaculũ. Quo fit, vt nullo modo ſit audiendus Alberi. 14
de Roſat. qui in. l. ex hac. ff. ſi quad. paup. feciſ. ait, nota quòd in hominibus nõ attẽditur deformitas. Quinimò eadẽ diſpoſitione, ex qua ipſe hanc ruſticã ſententiam deduci falſò credit, apertiſſimè cõtrariũ probatur. Caius nãq; lib. 7. ad ædictũ prouinciale, vt. d. l. ex hac, quã ad cõfirmandã opinionem ſuã ille doctor allegat, refertur, ita ſcripſit. Ex hac lege

lege iam non dubitatur, etiam liberarum perſonarum nomine agi poſſe: fortè ſi patrēfamiliàs, aut filiumfamiliàs vulnerauerit quadrupes: ſcilicet vt non deformitatis ratio habeatur, cùm liberum corpus æſtimationem non recipiat, ſed impenſarum in curationē factarum, & operarum amiſſarum, *vt pote quæ facilè æſtimari poſſunt, haberi rationem, non formæ, atque elegantiæ, quæ pretio numario ponderari nequeunt. Iuriſconſultus præcipit damna ſibi, non vulnera ſarciri, gloſſator clamat, & vacuos numis loculos, non vel cicatricibus plenam queritur faciem. Adeò neſcio quomodo nihil tam abſurdè dici poteſt, quòd non ab aliquo dicatur iſtorum. Sed iam progrediamur longiùs, et ad ea quæ de viribus dicenda ſunt, bona fortuna comite properemus. De quibus pauca referre ſufficeret, ſi Cliniæ Cretēſis eſſet ſtandum ſententiæ, qui omnes fermè leges, ita legumlatores iubet conſcribere: vt præcipuè ab bellum reſpiciāt, quaſi cæterarum rerum nulla ſit vtilitas, non poſſeſſionum, non artium, niſi quis bello ſuperet: cùm omnia bona eorum, qui victi ſunt, ad victores illicò tranſeāt cui & poeta Tyrtæus facilè conſenſit, dum ait, nullam*

illius

illius ipſe facio mentionem, nec omninò vllius pretij exiſtimandum cēſeo, etiam ſi ditiſsimus omniū ſit, etiam ſi multa bona poſsideat, qui non ſemper optimè gerat ſe in bello. Nos verò de fine legum alio loco dicemus. Quod ad rem nunc attinet, illud non dubito vtiliſſimum fore Reipub. ſi ſaltandi, iaculandi, luctandi, & equitandi gymnaſia ſint, in quibus aptè iuuenes exerceantur, magiſtriq́ dentur pueris, à quibus omnes armatorum dimicationes, acierum ordinationes, ductiones exercitus, caſtrorum metationes, & quæcunque ad equeſtrem pertinent diſciplinā, edoceantur. Cùm nemo ignoret, pueritia rectè educata, facilem reliquæ vitæ fore gubernationē. A qua ſententia non alienos credo fuiſſe iuriſconſultos, cùm in. l. qua actione. ff. ad l. Aquil ab Vlpi. ita referatur ſcriptum. Si quis in colluctatione, vel in pancratio, vel pugiles, dū inter ſe exercentur, alius aliū occiderit, ſi quidem in publico certamine alius alium occiderit, Aquilia ceſſat: quia gloriæ cauſa, & virtutis, nō iniuriæ gratia videtur, damnū datū. *Quæ diſpoſitio Platonis quoq́, lege lib. 10. de legib. comprobatur, dum ait, Si quis in certamine, publiciſq́ gymnaſijs, non ſponte, ſiue confeſtim, ſiue po-*

E ſteà

ſteà ex vulneribus ſequuta mors ſit, amicũ hominẽ interfecerit, vel in bello ſimiliter, vel in exercitatione bellica, à magiſtratibus inſtituta, ſiue nudis corporibus, ſeu ad imitationem veri belli armatis, ſecundùm legem à Delphico Apolline latam, mundus ſit. Nec verò ſolùm ad hæc exercitia, quibus adeò diſciplina militaris iuuatur, loca videntur à iuriſconſultis cõſtituta: ſed et ludo quoq; pilæ, quem agilitati, & exercitationi corporis conferre maximè nemo dubitat. Nam in l. 11 ff. ad l. Aquil. ita Mela. ſcribit. Si cùm pila quidã luderent, vehementiùs quis pila percuſſa, in tonſoris manũ eã deiecerit, & ſic ſerui, quẽ tonſor radebat, gula ſit præciſa, adiecto cultello: in quocunq; eorum culpa ſit, eum lege Aquilia teneri. Proculus in tonſore eſſe culpam. Et ſanè ſi ibi tondebat, vbi ex conſuetudine ludebatur, vel vbi tranſitus frequẽs erat: eſt quod ei imputetur. Quamuis neq; illud malè dicatur, ſi in loco periculoſo ſellam habenti tonſori ſe quis cõmiſerit, ipſum de ſe queri debere. *Vbi autem conueniat hæc loca conſtitui his exercitationibus apta, Plato de legibus lib. 7. apertè docet. Doctrinarum enim publica ædificia tripertito in me-*

in media vrbe locauit: foris verò in ſuburbijs equorũ gymnaſia: locaq; inſuper ãpla ordinauit, vbi iuuentus ad arcũ, et telorũ iactũ inſtruatur, exerceaturq;. Quã conſtitutionẽ ius ciuile confirmauit in l. item ſi obſtetrix. ff. ad l. Aquil. §. vltimo. vbi dicitur. Sed ſi per luſum iaculantibus ſeruꝰ fuerit occiſus, Aquiliæ locus eſt. Sed ſi cùm alij in cãpo iacularentur, ſeruꝰ per eũ locũ trãſierit, Aquilia ceſſat: quia nõ debuit per campũ iaculatoriũ iter intẽpeſtiuè facere. *De di-* 17
uitijs quæ inter humana bona cõputantur, nihil neceſſe eſt oſtendere nos, expedire Reip. locupletes habere ciues, idq; legiſlatoribus maximæ curæ eſſe. Vt enim in Phædone dicitur, ꝓpter pecuniarũ poſſeſſionẽ omnia bella nobis ſunt: itaq; nihil ad hãc rem opus eſt monitore. Quin vtinã modò noſtra redirẽt in mores tẽpora priſcos, ſed ſæuior ignibus Æthnæ, feruẽs amor ardet habẽdi. Verùm cũ authore Plat. li. 2. de Rep. nullus noſtrûm ex ſeipſo ſufficiẽs ſit, ſed multorũ indigens (prima namq; et maxima omniũ indigẽtia, eſt præparatio victꝰ, vt et ſimꝰ, et viuamꝰ, habitationis ſecũda, tertia veſtitus, et huiuſmodi) qđ vnũ ille putat, nõ aliud extitiſſe ciuitatibꝰ cõſtituẽdis initiũ, et foro nobis õninò, et nũmis

vtriſque his gignuntur. Quare oportet, vt à legiſlatore vtriſque terminus ſtatuatur. et lib. 3. de ll. dixerat, in quocunque hominũ cœtu, neque inopia, neque diuitiæ ſint, iuſtiſſimos mores adeſſe. Neq; enim ibi contumelia, neq; iniuria locũ habet. Quã ſententiam Baleares inſulæ ſibi videntur perſuaſiſſe, de quibus Diodorus. S. ita ait, Aureo nũmo, aut argenteo non vtuntur, quæ afferri ad inſulam prohibent, cauſam afferẽtes, Geryonẽ Chryſaoris filium, auro, atque argento opulentiſſimũ, quondã ab Hercule bello expugnatũ. Exiſtimant enim eo pacto, cùm auro, & argento careant, ſeſe facilè omnes vitæ inſidias euaſuros. Hanc ob rẽ, cùm olim cũ Carthaginenſibus militaſſent, ex ſtipẽdio impenſo mulieres, ac vinũ emptum ſecum retulere. Sed de his ſatis, nunc ad maiora veniamus. Diximus 19
namque ſuprà, ita corpus colendum, ac nutriendum, vt ferinæ tamen, irrationalique voluptati nõ indulgeat: non enim nos quærere decet, vti vel ſani, vel formoſi, vel robuſti, vel diuites ſimus, niſi vnà cum his & iuſtitiam coluerimus, ita vt corporis harmoniam, propter animi conſonantiam temperemus. Quatuor enim virtutes fundamenta eſſe Reipubl. ſine quibus illa diu ſtare non poſ-

 ſit,

ſit, nihil neceſſe eſt nos dicere. Nemo eſt adeò & rationis expers, & vitæ communis ignarus, qui dubitet virtutem animi eſſe ſanitatem, pulchritudinẽ, & robur: prauitatem verò eſſe morbum, turpitudinem, & imbecillitatẽ. Morbum autem ita corpus inficere, vt perturbari, confundi, ac diſsipari breuiter neceſſe ſit, nulli dubium. Quapropter id nobis ſolummodo neceſſe eſt oſtendere, quonam modo à iure in ciuitatibus prudentiam, fortitudinẽ, temperantiam, iuſtitiamq́ plantari conueniat, vt felici, beataq́ prorſus vita, & ſtatu Reſp. potiatur. Eſt autẽ tunc reuera ciuitas ſapiens, cùm optimis abũdat conſiliarijs. Perſpicacia enim in conſilijs, ſcientia quædã eſt, quæ benè conſultã, et ſapientẽ efficit ciuitatẽ. Siquidẽ propter fabrorũ ſcientiã, fabrilẽ: propter agriculturã, agricolariam, non prudẽtem Remp. appellaremus. Tunc ſapientis meritò nomẽ ſortitur, cùm ea pollet in cõſultãdo perſpicacia, vt & quæ foris, & quæ domi gerẽda ſunt, rectè diſponat. Parua ſunt enim foris arma, niſi ſit cõſiliũ domi: veriſsimèq́ abundãs bellicis laudibꝰ vir Gn. Põpeius, multis audientibꝰ dixit, fruſtrà ſe tertiũ triũphũ deportaturũ fuiſſe, niſi Ciceronis in remp. beneficio, vbi triũpharet, eſſet habiturus. Vndè Ci-

cero

cero in Catone maiore, ſiue de Senectute, eos qui cõ ſilio, et authoritate Remp. defendũt, ſimiles eſſe ait gubernatorib⁹ in nauigãdo: qui cùm alij malos ſcã dũt, alij per foros curſitãt, alij ſentinã exhauriũt, illi dũ in puppi quieti ſedentes clauum tenent, mul tò maiora, et meliora faciunt, cùm non viribus, aut corporis velocitate res magnæ gerantur: ſed conſi- lio & authoritate, & ſententia. Quæ verò in par- te ciuitatis hæc virtus locata ſit, nũc facilè quiuis intelliget: Si enim magiſtratus, & iudices fuerint prudentes, tota certè Reſp. prudens erit. Ars autẽ id efficiendi ea profectò eſt, ſi nullius rei maior fue rit principibus cura, q̃ vt ad hæc munera probatæ fidei homines deligantur, dentq; operã, ne in ambiẽ dis magiſtratibus, tenues opes, nullæ facultates, ex- iguæ amicorum copiæ, ſi modò ingenio, & vſu ſint fultæ, vel cũ aduerſario gratioſiſſimo contendere pertimeſcãt: ſed potiùs cuiuſque cauſa, non ex opi bus, ſed ex veritate pendatur, honorem vnicuique conuenientem tribuentes, totius potiùs Reip. com- modum, ac ſalutem, quàm ſingulorum gratiam, & vtilitatem expectantes. Et ideò Pomponio lib. ſingulari. Enchiridij authore, & in l. 2. ff. de origi- ne iur. prope finem. Optimus princeps Adrianus

cùm ab eo viri prætorij peterent, vt ſibi liceret re-
ſpōdere (primus enim ille, vt maior iuris authori-
tas haberetur, conſtituerat, vt ex authoritate eius
reſponderent) optimè reſcripſit eis, hoc non peti,
ſed præſtari ſolere. Sabino autem qui in equeſtri
ordine, iam grandis natu, & ferè annorū quinqua
ginta receptus erat, cui nec amplæ facultates erāt,
ſed plurimùm à ſuis auditoribus ſuſtentabatur,
vt populo reſponderet, à Tyberio Cæſare conceſ-
ſum eſt, nulla diuitiarum, nulla dignitatis, nulla
gratiæ, ſed virtutis, atq; eruditionis ſolùm ratione
habita. Ad hanc rem, illud Platonis lib. 3. de Re-
21 publ. pertinet: Deum cùm nos formaret, aurum
in eorum generatione miſcuiſſe, qui ad imperandū
nati eſſent, proptereà quòd eſſent honoratiſſimi: il-
lis autem, qui ad auxiliandum, argentum indidiſ-
ſe: ferrum verò, atque æs agricolis, atque alijs opi-
ficibus. Euenit quandoque, vt ex aureo naſcatur
argenteus, & ex argenteo ſimiliter aureus: cæte-
raque ita viciſſim. Quapropter ipſis principibus
Deum Opt. præcepiſſe, vt ſingulari cura, & ſoler-
tia dignoſcant, quid ex quatuor his potiſſimùm, in
quorumcunque animis ſit immixtum: & ſi quis
ex aureis naſcatur æneus, aut ferreus, nullo pacto
miſe-

miſereantur,ſed honorem illi naturæ conuenientē tribuentes,inter opifices,et agricolas mittant. Rurſuſque ſi ex ferreis naſcatur aureus, vel argenteus,honorantes extollant, partim quidem in cuſtodes,partim auxiliarios. Quaſi oraculum ſit tunc Remp.perituram, cùm ipſam vel æneus cuſtos,vel ferreus gubernabit. Quo fit,vt nō tam cuius quis filius ſit,vt ei prouincia demandetur,ſpectandum ſit,quàm illud conſiderandum,an per omnem vitā quæ è republica ſunt,procurauerit:quæ verò cōtra, cauere didicerit. Atq; hoc illud eſt,quod prudentiſſimè Gregorium. IX. reſcripſiſſe legimus in cap. fin. de off. & po. iudi. deleg. Sedem apoſtolicam prouidere,negotijs intendere, & non perſonis,quibus eadem committuntur. Illud autem obſeruandum, attenteq; perſpiciendum, ſit ne vera, atque immobilis, an falſa potiùs, & malitioſa eorum prudentia, qui in ſenatum ſunt, aut in conſilium publicum recipiendi,quique publicis ſunt functuri magiſtratibus. Itaq; quemadmodum cùm tentandi ſunt pulli equini anniculi, aut bimi, ſint pauidi, nec ne, ad ſtrepitum, et tumultum ducūtur, ſic & hi, quibus Reipubl.clauus eſt tradendus, in terribilia primùm,& aſpera ſunt impellendi,mul

E 5 toque

uerſantur, vt nõ quæcunq; vultis, illa faciatis. Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immũdicia, impudicitia, luxuria, idolorũ ſeruitus, veneficia, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiões, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, cõmeſſationes, & his ſimilia, quę prædico vobis, ſicut prædixi: quoniam qui talia agũt, regnũ Dei non conſequent. Fructus autẽ ſpiritus eſt charitas, gaudiũ, pax, patientia, benignitas, bonitas, lõganimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. *Et ad Roman. c. 7. de ſeipſo ingenuè fatetur, dicens,* Video aliã legẽ in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Ieſum Chriſtũ dñm nr̃m. Igitur, ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne aũt legi peccati. *De qua ſentẽtia plura in ca. ſed pẽſandũ. 6. diſt. et in. c. ſi Paul⁹. 32. q. 5. Cùm igitur ex alto ſpectãs lumine certo, Chriſt⁹ varia diſcrimina pugnæ, noſtri miſerat⁹, cùm nobis auxilium mittit, vt ſpirit⁹, ratioq;, carnẽ, ſenſualitatẽq; vincant (ita enim quod peius in nobis eſt, doctores appellant)*

*lant) temperantes tunc dicimur, atq; modeſti. Vbi
verò fortitudo cedit ignauiæ, iniuſtitia iuſtitiã ſu
perat, abſtinentiam cupiditas, fidentiam diffiden
tia opprimit, intemperantes, crudeles, et minùs mo
deſti nominamur. Atq; hoc illud eſt, quod ab A-
cademiæ principe dici ſolet, optimam eſſe victo-
riam, vt ſeipſum quis vincat: turpiſſimum verò
quiddam, et peſſimum, vt à ſeipſo vincatur. Quo-
niam ergò, quemadmodum dictum eſt, noſtrûm
quemlibet ad ſeipſum maximè affici, eodem mo-
do ſinguli viri ad ſingulos, domus ad domũ, vicus
ad vicũ, ciuitas ad ciuitatẽ, Reſp. ad remp. ſe ha-
bent: nunc facilè intelligemꝰ, vbi qui meliores ſunt,
deteriores ſuperauerint, rectè domũ, vicum, ciuita
tem illã ſuperiorẽ ſeipſa dici, & hoc triumpho non
iniuria laudari: è diuerſo autẽ vbi è contrario fit.
Locare verò tẽperantiam in aliqua Reipubl. par-
te, ſicut prudentiã fecimus, difficile eſt. Conſonan
tiæ enim eſt, & harmoniæ magis, q̃ reliquæ virtutes
ſimilis. Et vt Plato li. 4. de Rep. voluit, inſtar har-
moniæ, quæ diapaſon dicitur, per totam ciuitatẽ dif
funditur, fortiores, ac debiliores, potentiores, ac
23 medios efficiens egregiè conſonantes. Quo fit, vt
princeps legibus ſolutus ſit: vt in. l. princeps. ff. de
legibus*

legibus,non quia ei iniqua liceant, ſed quia is eſſe debet,qui nõ timore pœnæ,ſed amore iuſtitiæ,æquitatem colat, Reipub.procuret vtilitatem, & in omnibus ciuium commoda,priuatæ præferat voluntati. Quo etiam modo intelligẽdum eſt,quod à D. Paulo.1.ad Timoth.dicitur.c.1. Lex iuſto nõ eſt poſita,ſed impio. *& ad Gala.c.5.* Quòd ſi ſpiritu(*inquit*) ducimini,non eſtis ſub lege: *quaſi dicat,iuſti, religioſiq; homines, ſpiritu Chriſti volentes ducuntur,non metu trahuntur ad ea inuiti, quæ ſunt honeſta,piaq;.Similiterque cùm dicimus,* 24
ea quæ principi placent,legis habere vigorem,vt in l.1.ff.de conſ.princip. intelligendum eſt,quia principi placere non licet,niſi quod lex, aut æquitas perſuadet,aut ratio cõmunis vtilitatis inducit. In his autem eius voluntatem vim habere iudicij, decẽs eſt:& rectiſſimè quod ei tunc placet, legis habet vigorem. Vndè digna vox eſt maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe principem profiteri,vt imperatores Theodoſ.& Valent. Voluſio præfecto prætorio reſcripſerunt,in.l.digna vox.C.de legibus.Verùm ne id quidẽ ſatis erit, niſi & clariſſima præ- 25
fecti prætorio dignitas,ſibi,quod eſt veriſſimũ,perſuaſerit, non ob id ab eius ſententijs appellandi facult-

culta-

cultatē,principali ſententia cōtra ius,et cōtra maiorum inſtituta, interdictā eſſe, vt ſibi quodlibet liceat: ſed ob id potiùs qđ crediderit princeps, eos qui ob ſingularē induſtriā, explorata eorum fide,& grauitate, ad huius officij magnitudinē adhibentur, nō aliter iudicaturos eſſe pro ſapientia,ac luce dignitatis ſuæ, quàm ipſe foret iudicaturus,*vt egregiè docet Aurel. Arcadius Chariſius magiſter libellorū lib. ſingul. de off. præf.prat Nec aliter & proconſul, quāuis pleniſſimam iuriſdictionē habeat, omniumq; partes, qui Romæ,vel quaſi magiſtratus,vel extra ordinē ius dicūt,ad ipſum pertineant (vt li. 2. de off. proconſ. tradit Vlpia.) & ideo maius imperiū in ea prouincia habeat omnibus,poſt principem (vt idem I.C. docet li. 39. ad edictū) nec quicquam ſit in prouincia,quod non per ipſum expediatur. Obſeruare autem proconſulem oportet, ne in hoſpitijs præbendis oneret prouinciam. Xenijs quoque modum adhibere debet, vt neque moroſè in totum abſtineat,neque auarè modum xeniorum excedat.* Nam valdè inhumanū eſt,à nemine accipere: ſed paſſim viliſsimū,& omnia auariſsimū. *Et mandatis quoq; continetur, ne donum, vel munus ipſe*

procon-

procōſul, vel qui in alio officio erit, accipiat, emat-ve quid, niſi vict⁹ quotidiani cauſa. Quod quāuis ad xeniola non pertineat, ſed ad ea quæ eduliū excedunt vſum, tamē & xenia producenda non eſſe ad munerū qualitatem, legibus ſtatutū eſt in.l.ſolent.ff.de off.proconſ.& leg. Præſides quoq;, quorū in prouincia imperiū maius eſt omnibus, poſt principē, vt in.l.præſes.ff.de off.præſ. omnia enim prouincialia deſideria (*vt Mart.li.3.inſtit.ſcripſit*) quæ Romæ varios iudices habēt, ad officium pręſidis pertinēt. *Meminiſſe tamē oportet quod Macer I.C.li.1.de off.præſ.ſcripſit, ſenatuſconſulto caueri,* vt de his quę prouincias regentes, comites, aut liberti ni eorum, antequam in prouinciam venerint, contraxerunt, parciſsimè ius dicatur. *Et Modeſt.li.5.regula. plebiſcito cōtineri dixit,* vt ne quis pręſidū munus, donū caperet, niſi eſculentū, potulentúmue, ꝙ intra dies ꝓximos prodigatur. *Quorū ſententiæ legibus cōfirmatæ ſunt in.l.ſenatuſconſulto.& in.l.plebiſcito.ff.de off.præſ.& vt uno verbo omniū magiſtratuū munera cōplectamur,* caueāt oēs iudices, & prudēter attendāt, *ait pontifex in.c.1 de ſent. et re iudic.in.6.* vt in cauſarū proceſsib⁹ nihil vē

dicet

dicet odium, vel fauor vſurpet, timor exulet, præmium, aut ſpectatio præmij iuſtitiã non euertat, ſed ſtateram geſtent in manibus, lances appendant æquo libramine, ut in omnibus quæ in cauſis agenda fuerint, præſertim in concipiendis ſententijs, & ferendis, præ oculis habeant ſolum Deum. *Eſt ergo maximũ hoc, & præcipuum, in Repub. temperantiæ fundamentum, licet id ſolùm temperatam Remp. non efficiat, ſi principes, magiſtratuſque tẽperantes ſint. Quid eſt enim negotij continere eos, quibus præſis, ſi te ipſe contineas? Certè qui pecuniæ, voluptati, omniumque rerum cupiditati reſiſtit, nullum periculum eſt, ne improbum negotiatorem, paulò cupidiorem publicanum comprimere nõ poßit. Verùm Imperatores, Reges, Proreges, te quoque illuſtrißime Præſes, & vos ſenatores illuſtres, haſce habere, vt certè habetis, virtutes, nequaquam ſatis eſt, ſed circunſpiciendum eſt vobis diligẽter, vt in hac cuſtodia imperij, & gubernatione, nõ vos unos, ſed omnes miniſtros imperij, ſocijs, & ciuibus, et Reip. præſtare videamini. Neque ſatis eſt, poſt iniunctã prouinciam, ſcrutari omnes eorũ ſordes, excutere vnumquenque illorum. Si enim delectus, non ex ætate,*

ætate,honore,et dignitate præſtantibus fiat: ſed ex ambitioſis,& adulatoribus,nihil mirandum eſt, ſi quouis ſigno,quauis pictura, quauis veſte, quouis mancipio,quauis forma, quauis conditione pecuniæ,ab integritate,continentiaque deducantur,eaque poteſtate,quam ad dignitatem acceperunt,ad quæſtum,& turpe lucrum vtantur. Sed priùs,vt ſuprà diximus,probandi ſunt,tales ne ſint,qui ipſi per ſe habituri ſint rationem dignitatis ſuæ,& anxiè de exiſtimatione ſua laboraturi, vt quantum fidei,in quocunq; fuerit illorum,tantum eius fidei, nec amplius committatur. Deinde vt ea,quam ſuprà tradidimus,harmonia egregiè in ciuitate conſonet,ab his non minori cura & diligentia elaborãdum eſt,vt maximus in vrbe paupertati,ac parſimoniæ honos ſit,clementiæ,modeſtiæq;,& continentiæ ampliſsimus locus:otiũ verò, luxus,libido,auaritia,et abundantes voluptates procùl abſint. Sint conſtantiæ,moderationis,temperãtiæ,verecundiæ primæ in ciuitate partes: ioco autem, ludo, ac reliquis remiſsionibus vrbanis,ingenioſis, liberalibus, vti illis quidem liceat, ſed ſicut ſomno, & quiete, tum maximè,cùm grauibus,ſerijſq; rebus ſatisfecerimus. Qua de re optimè imperator Diocletia-

F nus

nus reſcripſit in.l.vnica. C. de expenſ.ludo. lib.11. dicens, Cùm præſidem prouinciæ impenſas, quæ in certaminis editione erogabantur, ad refectionem murorum tranſtuliſſe dicas, & quod ſalubriter deriuatum eſt, non reuocabitur, & ſolenne certaminis ſpectaculũ, poſt reſtitutã murorũ fabricam, iuxta veteris cõſuetudinis legem celebrabitur. Ita enim & tutelę ciuitatis, inſtructę murorũ pręſidio, prouidebitur, & inſtaurandi agonis voluptas, confirmatis his, quæ ad ſecuritatis cautionem ſpectant, inſecuti temporis circuitione repræſentabitur. *Et in.l.1.ff.de off.præf.vrb. diſciplinã ſpectaculorum ad præfecti vrbi curam pertinere dicitur, debere tamen illum diſpoſitos milites ſtationarios habere, ad tuendam populariũ quietem, & ad referendum ſibi quid vbi agatur. Et in.l.7. de off. Proconſ. & legat. proconſuli præcipitur: ſi in aliam quam ciuitatem celebrem, vel prouinciæ caput aduenerit, patiatur commendari ſibi, ciuitatẽ laudeſq́; ſuas non grauatè audiat, cùm honori ſuo prouinciales id vindicent: & ferias ſecundùm mores & conſuetudinem, quæ retrò obtinuit, concedat. Danda ſunt igitur blandimenta plebi, indulgendum*

gendum eſt aliquid popularibus ingeniјs: non omnes ad grauitatem, & magnitudinem animi finxit natura, non omnes magnos homines, & excelſos. Exorari verò, placari, miſereri, & ignoſcere ita oportet, vt reſipiſcendi potiùs conſilium clementia, quàm peccandi tribuat lenitas anſam. Siquidem nunquam ciuitas temperata erit, niſi ciuium non modò affectus, & cupiditates à legibus, verùm & inceſſus, & geſtus vniuſcuiuſque moderētur. Ridiculum enim eſſet, ſi quis auaritiam, luxuriam, temeritatē aliundè, quàm ex ſordidis, luxurioſis, & perditis hominibus, in ciuitatem immigraſſe exiſtimaret. Similiterq́, & prudentiā, iuſtitiam, fortitudinem, & temperantiā, alios quàm ſapiētes, iuſtos, magnanimos, & modeſtos in Rēp. inuexiſſe contenderet. Vndè prudentiſſimè apud Juriſconſultos non ſolùm ſunt iudicia de adulterijs coërcen. de ui publi. de ſicarijs, & veneficis, ad l. Iuliam maieſtatis. ad. l. Pompeiam de parrici. de falſis, Repetundarum, peculatus, & ambitus, ſed et de his, qui effuderint, vel deiecerint, de ſeruo corrupto, de aleatoribus, de ædilitio edicto, de redhibitionibus, alijſque innumeris, in quibus quanta cura ſint, non ſolùm magna, arduaque negotia

F 2 iuriſ-

*iuriſconſultis,verùm et forma, ſtatus,ordo,mode
ratio vultus,voces,motuſq; corporis, liquidò con-
ſtat. Prudentiſsimè certè (nec fallor) vbi enim pau
latim,ſenſimq;, vel apud eos, qui numerus, nullo
in numero ſunt, labi ſiueris diſciplinam,veluti diſ
ſidentes primò mores ſequuntur,deindè magis,ma
giſq; labuntur, donec præcipites eò perueniunt, vt
appetitus omnes contrahere, ſedareq;, & ad offi-
cij formam reducere, vel ſeueriſsima excitata ani
maduerſione, & diligentia non valeas. Denique
ne diutiùs morer, vt Reſpubl. temperata ſit, illud
vnum efficiẽdum eſt,vt in magiſtratibus,priuatis,
ciuibus,peregrinis,omni deniq; parte Reip. appeti-
tus,qui hominem húc, atque illúc rapiunt, rationi
(quæ docet,& explanat quid faciendum,fugien-
dumq́; ſit) obediant: eamq; neque præcurrant pro-
pter temeritatem,neque propter pigritiã,aut igna
uiam deſerant,ſintq́; tranquilli,atque omni animi
perturbatione careant: ex quo omnis conſtantia,*
26 *omniſq; moderatio elucebit. De fortitudine nunc
ſequitur vt videamus. Eſt autem ea ciuitas habẽ
da fortis,atque magnamina, quæ pro ſalute com-
muni pericula,et labores ſubire parata eſt, nulloq́;
metu frangitur: ſed inuictam ſe ad propulſandã
iniu-*

*iniuriam præſtat: & vt cum Stoicis definiamus
quæ magno animo, excellenterque pro æquitate
propugnat. Artem autem id efficiendi ius eſſe,
tunc facilè quiſque intelliget, cùm nos qua in par-
te ciuitatis, & qua induſtria fortitudo locanda
ſit, expoſuerimus. Quòd verò ad primum atti-* 27
*net, nemo eſt, qui ciuitatem vel timidam, vel for-
tem vocet, aliud quidquam reſpiciens, quàm id
quod pro ipſa pugnat, ac militat. Vendicant igitur
ſibi hanc partem, exercitus, legiones, cohortes, tur-
mæ, phalanges, magiſtri equitum, tribuni militum,
alijque innumeri, quorum diuerſa ſunt in bello
munera: quos omnes ingenti in periculis, & labo-
ribus elatione animi, non pro ſuis commodis, ſed
pro ſalute Reipubl. ſtrenuè pugnare oportet: nul-
laque alia re magis inflammari, quàm cupiditate
vincendi. Armandi ſunt autem non tantùm ga-
leis, ocreis, thoracibus, loricis, parmis, peltis, cetris,
& vmbonibus, ſed duabus potius rebus, quibus
omninò fortis animus, & maximus maximè cer-
nitur. Prima eſt rerum externarum deſpicientia,
vt perſuaſum ſibi ſit, nihil hominem niſi quod ho-
neſtum, decorumque ſit, aut admirari, aut optare,
aut expetere oportere: nulliſque neque perturba-*

tionibus animi, nec fortunæ procellis ſuccumbere. Altera eſt, vt cùm ita fuerint animo affecti, res gerant, magnas illas quidem, & maximè vtiles, ſed vehementer arduas, plenaſque laborum, & periculorum, cùm vitæ, tùm multarum rerum quæ ad vitam pertinent: quibus ita perſuaſis, vel certam victoriam auderem promittere. Nihil illis Germanorum frameæ, Thracum romphææ, Hiſpanorum lanceæ, Boiorum yſſi, Macedonum ſariſſæ, Illyricorum ſybini, nec Romanorum pila nocerent: tormenta omnia, teſtudines, arietes, vineas, pluteos, muſculos, turres, & malleolos iure contemnerent. Vt autem hæc pars à qua ciuitas fortis nomen ſortitur, fortis & ipſa ſit, duo ſunt legumlatoribus maximè procuranda. Primum vt iuuenes, qui inuicto, & ſanguineo Marti ſunt conſecrandi, à teneris, quòd aiunt, vnguiculis, à libidinibus arceantur, & demùm confirmata parumper ætate, in labore, patientiaque, & animi, & corporis exerceantur: vt eorum in bellicis, & in ciuilibus officijs vigeat induſtria. Ad quæ illa pertinent, quæ ſuprà diximus, vbi de viribus agebamus. Alterum eſt, vt & ſtrenuè pugnantibus, magnanimis, fortibus, & egregijs vi-

ris

*ris, qui vitam, & ſanguinem pro ſalute Reipu-
blicæ deuouerunt, præmia, ſtipendia, priuilegia, im
munitates, honores decernantur: de ſertoribus au
tem, emanſoribus, transfugis, exploratoribus, ir-
reuerentibus, timidis, ignauis, & proditoribus ca
ſtigatio, pecuniaria multa, munerum indictio, mi-
litiæ mutatio, gradus deiectio, & ignominioſa miſ-
ſio parentur. Id autem à iure ciuili accuratè fie-
ri, non eſt quòd vna, aut altera lege probemus, cùm
innumeris titulis, his, atque illis, & honoratiſſima
præmia, & infames pœnæ ſtatuantur: vt. ff. de ca-
ptiuis. & de poſt liminio. & redemp. ab hoſtibus. et
iterum de caſtr. pecul. de veteranis, de re milit. &
ne ſingula proſequamur, C. lib. 12. nihil ferè aliud
continet, quàm quæ ad diſciplinam pertinent mi-
litarem. Reſtat autem dubium, non tam intelle-* 28
*ctu difficile, quàm tractatu iucundum. Quando
in pleriſque rebus mediocritas optima eſt: ex eo
enim liberalitas commendatur, quòd neque per
luxum, atque libidinem vti prodigus omnia per-
dat, neque pecunijs, vt auaro contingit, ſer-
uiat, omneſque ſordes exquirat: nec aliundè
fortitudo multarum virtutum fons eſt, & ori-
go: quàm quòd & timorem pellat, & præcipitem*

audaciam comprimat. Quidnam eſt cauſæ, quod tot præmijs, ac pollicitationibus ad audaciam, non ſolùm à ducibus in bello, verùm frequenter à legibus mpellamur? inde certè hoc prouenit, quòd quãuis omnes virtutes mediocritate quadam moderẽtur, ſunt tamen illæ ſemper ad alteram partẽ propenſiores. Medium inter lenitatem, & ſeueritatẽ tenet clementia, eſt tamen paulò ad benignitatem propenſior. Et luxuriam, et auaritiam fugit liberalitas, eſt tamen largitioni vicinior. Nec aliter & fortitudo, quamuis & timiditati ſit inimica, & temeritati contraria, audaciæ tamen potiùs, quàm puſillanimitati fauet. Quo fit vt quamuis iram fræno, catenaque compeſcere, fortis animi ducendum ſit, tamen depulſo metu, qui tranquillitatem animi, & ſecuritatem præ cæteris perturbationibus turbat, ea quæ videntur acerba, et terribilia ita ferre, vt nihil à ſtatu naturæ dimoueâris, diſcedâſque nihil à dignitate ſapientis, robuſtioris animi eſt, magnæque conſtantiæ. Longiùs enim timor à fortitudine, quàm audacia diſtat. Ex eo igitur, quantum ego opinione auguror, iſti ipſi iuſtitiæ præceptores, & virtutis magiſtri, fines officiorum paulo longius quàm mediocritas, & rectitudo vel

le vi-

*le videbatur, protulere: vt cùm ad vltimum ani-
mo contendiſſemus, ibi tamen vbi oporteret, con-
ſiſteremus. Nihil neceſſe eſt à ducibus commen-
dari, vel legibus præcipi, vt quiſque ſe defendat,
vitam tueatur, ſanguinemque ſuum ne profundi
ab inimicis patiatur: ſi res in periculum venerit at-
tentè audiat, vt cùm primùm receptui canetur, ſe
colligat. Hæc adeò omnibus curæ ſunt, vt vel in
eos, qui à foſſato recedunt, quiue ſtationis munus
relinquunt, qui ab excubatione deſiſtunt, qui in
bello arma amiſerint, qui agmen exceſſerint, qui
in acie priores fugam fecerint, ſeueriſsimam eſſe a-
nimaduerſionem conſtitutam, non ſit ſatis: ne cùm
primùm bello dat ſignum rauca cruentum bucci-
na, alij metu hoſtium languorem non ſimulent, a-
lij turpi fuga vitam redimant. Audaciam verò
non ſolùm non neceſſe eſt comprimere: verùm &
ijs, qui primùm muros aſcenderint, qui ciuem ſer-
uauerint, qui hoſtes vulnerauerint, qui inimicos fu-
gauerint, iuſtiſsimi ſunt decernendi honores, & or-
natiſsima præmia proponenda. Quæ dum perſe-* 29
*quimur, quod vltimum, ac maximũ erat inquiren-
dum de iuſtitia, in manibus eſt. Cuius ſi ea potiſsi-
mum virtus eſt, vt ſuum cuique tribuat, ea certè*

ciuitas iuſta erit, vbi pueri, mulieres, ſerui, liberi, artifices, magiſtratus, milites, & priuati, vnuſquiſque opus ſuum exercet, minimè per aliena vagatus: & tam iuuenes, quàm ſeniores, tam ciues, quàm peregrini ſuum negotium agunt, & munera ſibi tributa exequuntur: nihil de alieno inquirentes, minimèque in aliena domo curioſi. Eſt ſiquidem proprium iuſtitiæ munus, omnia quæ ſuprà examinauimus bona, in ciuitate & locare, & publicè, atque priuatè, tam corpori, quàm animo quod ſuum eſt tribuere. Atque hoc illud eſt, quod prouerbio dicere conſueuimus Iuſtitia in ſe virtutes continet omnes. *Et Ariſtoteles iuſtitiam de omnibus dictare dixit. Præcipit enim lex, et ea agere, quæ ad virum pertinent fortem: vt non deſerere locum in acie, non fugere, non abijcere arma, & item ea quæ ſunt temperantis, vt non committere adulterium, non libidine vti: & ea etiam quæ ſunt manſueti, vt non percutere, non cõuitia dicere, & in cæteris ſimiliter virtutibus, atq; vitijs. Vndè quamuis inter Philoſophos omnes conſtet, qui vnam habeat, omnes etiam habere virtutes, ſi tamen aliquo modo ad opinionem communẽ accõmodata oratione ſeiungi poſſunt, iuſtitia plus omni-*

omnibus pollet. Prudentia enim ſine iuſtitia, nihil valet: imò quo quis, vt Cicero ait, verſutior, et callidior eſt, hoc magis inuiſus, & ſuſpectus detracta opinione probitatis: iuſtitia verò, vel ſine prudentia, ſatis habet authoritatis. Similiterq; temperantia, & fortitudo iuſtitiæ coniuncta, quantum virium volent, habebunt: quæ ſi diſtinguas, parum poterunt. Atque hæc eſt, quantùm coniectura aſſequi poſſum, ratio: cur, licet non ſolùm quæ ad iuſtitiam pertinent à legibus imperentur, ſed & quæ fortitudinis, temperantiæ, & prudentiæ ſunt, ius à iuſtitia appellatum Vlpianus dicat, non ab alia virtute: quod ſiue vniantur virtutes, iuſtitia in ſeſe continet omnes, ſiue diuidantur eadem reliquis omnibus præſtat. Nunc quod ad 30 *æquitatem pertinet, breuiter abſoluamus: id enim eſt vltimum in definitione iuris. Æquitatem autē hîc accipi pro leni iure ſummum ius mitigante, atque riguroſo, et ſuperſtitioſo iuri oppoſitò, non exiſtimo: licet Budæo, aliiſque multis valdè illa arriſerit interpretatio. Quod ſi eſſet, difficilè ius à bono, & æquo diſtingueretur: cùm dicamus bonum, & æquum, moderatum ius eſſe, & lene. Illa verò diſtingui neceſſe eſt, ſi ius eſt ars*

boni,

pietatem verò, quæ ſuperos colit, & ſanctitatem,
quæ ad manes attinet, iura contemnere? non cer-
tè. Quinimò reliquas omnes leges illùc tendere o-
portere, ſuprà diximus, vt intelligant homines bo-
na quæcunque geſſerint, ad Deum authorem re-
ferenda, pietatemq; præ cæteris virtutibus colen-
dam. Nec verò huic diuiſioni obſtat, quòd in par- 32
titionibus idem Cicero dixerit, pietatem eſſe etiam
erga parentes. Et apertè in oratione pro Gn. Plan
tio: omitto (inquit) illa, quæ ſi minus neceſſaria ſũt
at certè cùm ſunt prolata, laudantur: vt viuat cũ
ſuis, primùm cum parente: nam meo iudicio, pie-
tas fundamentũm eſt omnium virtutum. Et in o-
ratione pro Lucio Murena, pietatem ad propin-
quos etiam, & conſanguineos extendit. Quibus in
locis pietatem pro bonitate poſuit. Nam verã pie-
tatem in religione eſſe lib. 1. de natura deorum Ci-
cero eſt author: eſſe autem ad definitionem iuris
hunc ſenſum veriſſimum, & intellectum liquidò
patet. Ipſum Vlpianum quæ paulò antè dixerat,
interpretantem audiamus. Huius (*inquit*) ſtudij
duę ſunt poſitiones, publicum, & priuatum.
Et demum publicum ius, *ait*, in ſacris, in ſacer
dotibus, in magiſtratibus conſiſtit. Priuatum
ius

ius tripertitum eſt. Collectum etenim eſt ex naturalibus præceptis,aut gentium, aut ciuilibus. Ius naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit. Ius gentium eſt, quo gentes humanæ vtuntur, veluti erga Deum religio: vt parentibus, & patriæ pareamus: vt vim, atque iniuriam propulſemus. *Et paulò poſt* Ius ciuile eſt (*inquit*) quod neque in totum à naturali, vel gentium recedit, nec per omnia ei ſeruit. Itaque cùm aliquid addimus,vel detra himus iuri communi,ius proprium, id eſt,ciuile efficimus. Hoc autem ius noſtrum conſtat aut ex ſcripto, aut ſine ſcripto. *Videtiſne igitur,vt Iuriſconſultorum reſponſa,& Philoſophorum placita, verbis parum diſcrepent, re autem nihil? ſed quid opus rem adeò apertam priuatis probare diſpoſitionibus, atque ad id Iuriſconſultorum fragmenta colligere? Circa aliam ne rẽ quinquaginta Pandectarũ libri verſantur, quàm circa partes æquitati à Cicerone tributas? Ad illius certè diuiſionem, ac traditionem digeſti de induſtria, & aptati videntur. Illa enim quæ in titulis ff. ad leg. Aquil. ne vis fiat ei, de vi, & vi armata, de dolo malo, & metus exceptione, de iniurijs,*

& fa-

*& famoſis libellis, de vi publica, de vi priuata,
de ſicarijs, & veneficis, de parricidijs tradun-
tur, aliud ne continent, quàm duas naturæ partes,
tuitionem ſui, & vlciſcendi ius? Prima verò in-
ſtitutionis pars, quæ legitima eſt, & tertia moris
vetuſtate confirmata, nonne titulis Digeſt. de le
gibus, Senatuſconſultis, & longa conſuetudine,
de conſtitutionibus principum, de diuiſione re-
rum, & qualitate, alijſque multis continetur?
Media, quæ conuentis confirmata dicitur, quos
non in iure ciuili libros occupat? De ſanctitate e-
nim ad manes, & æquitate ad homines perti-
nente, quodque maximum eſt, de pietate erga De-
um, nihil neceſſe eſt nunc dicere, cùm ea ſint præ-
cipua, quæ duo humani generis lumina, Plato
in bonorum, & Cicero in æquitatis partitionibus,
nobis propoſuerunt. Ad quæ Principes, placita:
Senatus, conſulta: Plebs, ſcita: Decuriones, decre-
ta: & gubernatores, ſtatuta: tanquam ad ſcopum
dirigere neceſſe eſt, ſi ſe, ſuaſq; ciuitates, & Reſp.
ſaluas velint. Hoc autem quando ordine præſcri-* 34
*pto ſeruaſſe Iuriſconſultos oſtendimus, illud per-
ſcrutemur, cur nam bonorum, et æquitatis artem
ius eſſe dicamus. Negaret enim quiſpiã, qui minus*

Celſi authoritatem vereretur, artem eſſe vllam,
niſi quæ cognitis, penituſq; perſpectis, & in vnum
exitum ſpectantibus, & nunquam fallentibus re-
bus contineatur: idque vel teſte Cicerone lib. 1. de
Oratore probaret: & dum ait lib. 2. artem earum
rerum eſſe, quæ ſciũtur. Sed et à Iuriſc. in l. neque
leges. ff. de legibus dicitur, neque leges, neque ſena
tuſconſulta ſcribi poſſe, vt omnes caſus, qui quan
doque inciderint, comprehendantur: ſed ſufficere
ea, quæ plerunque accidunt, contineri. Et rurſus in
l. nõ poſſunt. ff. eo. tit. Non poſſunt (*ait Iulianus*)
omnes articuli ſigillatim, aut legibus, aut ſe-
natuſconſultis comprehẽdi. *Et Neratius li. 6.*
membranarum, rationes eorum, quæ conſtituun-
tur, inquiri oportere negat, alioqui multa ex his,
quæ certa ſunt, ſubuerti fatetur. Ergo minùs pru-
denter Celſus, ius artem eſſe, dixiſſe videtur. Vt e-
nim à Platone in Gorgia optimè dicitur, nõ eſt ars
dicenda, ſed peritia quædam, quæ nullam habet
35 *rationem eorũ quæ affert, qualia natura ſint. Hũc*
nodum ex his quæ in Academia didicimus, dupli
citer explicemus. Plato in dialogo ciuili, vel de re-
gno, artes geminas, circa omnia quæ fiunt, conſide-
rari præcipit. Vnam (vt ita loquar) concauſam, al
teram

teram verò cauſam ipſam. Quæcunque, inquit, rem ipſam non fabricant, ſed fabricantibus orga na ſubminiſtrant, eas concauſas nominamus: eas autem ipſas quæ principaliter faciunt, cauſas appellamus: ut exempli gratia, quæ colum, fuſum, radium, pectinem efficiũt, & alia circa veſtium operam inſtrumenta præparant, artes concauſas nuncupemus, illas autem quæ veſtimenta curant, & efficiunt, artes cauſas. Ad eundemq; nos modum (quod ad rem attinet) ius ipſum per ſe ſumptum, purum, & perfectum, vt à iuſtitia deſcendit, non ſolùm artem boni, & æqui, verùm artem, cauſam ſcilicet, quod bonum, & æquum eſt efficientem ponamus, conſtantem, certam, perpetuamq;, vt ſuprà in definitione iuſtitiæ oſtendimus. Indiget autem hæc ars quibuſdã alijs artibus concauſis, ſine quibus illa exequi non poteſt, nec ad vſum, exercitium, et actionem, in quibus virtus oſtenditur, peruenire. Sunt autem hæ: leges, conſuetudines, ſtatuta, magiſtratus, et iudices. Fruſtra enim iura eſſet condita, ſi non eſſent, qui illa executioni mandarẽt, vt in. l. 1. §. poſt originem. ff. de orig. iur. et in. c. vbi periculũ. §. præterea. de elect. in. 6. Quos omnes, vt tempus, et occaſio poſtulat, ita decernere, et ſtatue

re æquiſſimum eſt: nec permanendum in vna ſententia conuerſis rebus, ſed quid res, quid cauſa ferat, quid tempus, optimè perſpiciendum. Incidunt namque ſæpè tempora, vt ea, quæ maximè iuſta videntur, commutentur, fiantq́; contraria. Ac veluti ſi medicus imminente longa peregrinatione, procul ab his quos curat, abfuturum diu ſe putet, diffidenſque illorum memoriæ, monumenta quædam agendorum præſcribat, præter opinionem autem ocyùs, quàm putauerat, reuertatur: non verebitur alia illis præcipere, præter ea, quæ quondam ſcripſerat, ſi qua ſalubriora ægrotantibus adhiberi poſſint: nec ambo perſeuerabunt in priori propoſito, vt neque ipſe mandare alia velit, nec ab ægrotante alia præter ſolita obſeruari, quaſi & medicæ artis propria ſint illa, & ſaluberrima: ſed potiùs vt fuerint diuerſæ in corpore perturbationes, & motus, diuerſæ adhibebuntur medicinæ, & remedia: neq; aliter præſtantibus in Republ. gubernanda viris licebit, cùm in aliqua cauſa ſententia manifeſta eſt, ad ſimilia procedere, atque ita ius dicere: quotienſque vnum, aut alterum introductum eſt, cætera, quæ tendunt ad eandem vtilitatem, vel interpretatione, vel certè iuriſdictione ſupplere.

Vte-

Vt enim in nauigando, portum ſi poſſis mutata ve lificatione aſſequi, ſtultum eſt eum tenere cum periculo curſum, quem cœperis, ſic cùm omnibus in adminiſtranda Republica propoſitum eſſe debeat, vt vincat iuſtitia, neque vllus detur iniuriæ locus, æquiùs eſt, ſalubriter pro vtilitate hominum noua introducta diſpoſitione, ſuum cuique tribuere, quàm dum obſoletam iam, & deciduam legem ad vnguem ſeruare intendunt, iniuriam facere. Atque huc reſpexiſſe arbitror Innocentium. III. cùm in. c. non debet. de conſang. & affinit. Non debet (*inquit*) reprehenſibile iudicari, ſi ſecundùm varietatẽ temporum, ſtatuta quandoq; varientur humana, præſertim cùm vrgẽs neceſsitas, vel euidẽs vtilitas id expoſcit: quoniã ipſe Deus ex his, quæ in veteri teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutauit in nouo. *Vnde gl. illa meritò à Bartolo, & ab alijs reputatur ſingularis in. l. 1. C. de legitim. tutorib. dum aït, quòd correcta ratione legis, dicitur correcta ipſa lex, de quo plura Canoniſtæ in. c. poſt tranſlationem, de renuntiat. & Alexand. in. l. 1. col. 3. ff. ſolu. matrimonio. Sed iam iterum eandem rem alio modo cõſideremus. Circa quodcunq; tres eſſe artes, vtentem, facientẽ,* 36

& imitantem, Plato lib. 10. de Repub. docuit. Virtutem autem, pulchritudinem, et rectitudinem cuiuſque inſtrumenti animalis, & actionis, non ad aliud referri dicit, quàm ad vſum, cuius gratia quodcunque eſt factum, vel genitum. Tibicen igitur ad quem vtendi ars pertinet, de aptis, & ineptis tibijs, vtpote is qui artem intelligit, pronũciat, nec fallitur. Huic tradẽti, quæ ad vſum aptiſsima ſunt, ſi effector tibiarum fidem præſtet, eas quales oportet facit. Imitatores autem, ſeu pictores, opinione ſolummodo, nulla intelligentia ducuntur: vnde iocus quidam ferè eorum ars eſt, non res ſeria. Idem in ea re, quam declarare paramus, euenire facilè nunc quiſque intelliget. Eſt nanque ius per ſe ſumptum, prout in ſe virtutes, & earum vſus continet, ars boni, & æqui, perpetua, immobilis, ſempiterna, non opinionibus, ſed veritate, & natura conſtans, quæ neq; inflecti gratia, neque perfringi potentia, neque adulterari pecunia poteſt: quam qui didicerint, eiq; fidem dederint, nunquã aberrabunt, neque aliter, quàm decet iuris profeſſores, reſpondebunt. Quòd ſi aliquando videmus non rectè aliquid ſtatuere eos, qui conſuluntur, nõ iuris vitio, aut huius artis culpa id accidere dicen-

dum

*dum eſt: ſed eos, qui id ſtatuant eſſe ius, quod ini-
quum eſſet iudicare, non iuris numerare peritos,
ſed præſtigiatores, impoſtores, & imitatores fal-
ſos appellare conuenit. Similiterq; ſi contra patro-
norum dicta, & reſponſa aliquando iudicatur: ſi
perperam, non iuriſprudentiæ, ſed iudices potiùs
improbi, & iniqui vituperandi: ſin rectè, id fuit ius
quòd iudicatum eſt, illi verò non iuriſperiti, ſed
ſtulti homines, & ignari. Atque hoc illud eſt, quod
à Platone lib. 1. de Repub. dicitur, arti nullum er-
rorem ineſſe, & paulò ante dum ait, nullus arti-
fex peccat: ex eo nempe quod quiſquis, dum pec-
cat, deficiente illius artis ſcientia peccat, in quo iã
ſanè nõ eſt artifex.* Cuius meritò quis nos ſa- 37
cerdotes appellet. *Nihil neceſſe eſt in horũ ver-
borum explicatione diutiùs nos immorari: quæ au-
tem ab antiquioribus dicuntur, nihil faciunt ad
rem. Baldus ait, opponitur, & videtur, quòd do-
ctores non ſunt ſacerdotes, quia ſacris ordinibus
nõ ſunt inſigniti. Solutio, inquit ille, ſacerdotiũ a-
liud ſpirituale, & ſic loquitur contrariũ: aliud tem
porale, & ſic loquitur hic. Accurſius ex eo iuris
profeſſores ſacerdotes dici credit, quia ſicut ſacer
dos ius cuiq; tribuit, in danda pœnitentia, ita legum*

 pro-

profeſſor in iudicando. Melius profectò, quantum ego ſentio, recentiores, è quibus, ob id venerandos illos Iuriſconſultos ſacerdotes dictos, firmat Budæus, quòd omni genere literarum inſtructiſsimi, gratuitam, non quæſtuariam iuriſprudentiam exercentes, in publicum quotidiè prodeuntes, vnicuiq; ciuiũ ſe conſulendos, antiquo inſtituto præbebant: & reſponſa boni, & æqui plena reddebant, candidiſsimæ virtuti iuſtitiæ conſecrati, quemadmodum ſingulis dijs ſui erant conſecrati ſacerdotes, qui de futuris, atque agendis, conſulentibus reſponſa darent. Roſcius lib. 1. memorabilium cap. 10. hæc explicans verba, Quemadmodũ (inquit) ſui ſingulis dijs conſecrati erant ſacerdotes, ita iuriſperiti Themiti deæ, quæ credita eſt ius, faſque & iuſtitiam cuſtodire: aut Dicæ, quæ dea iudiciorum, ſeu præſes dicta eſt ob id Græcè, quòd lites, et contentiones dirimat. Nam & eius deæ diaconi, & miniſtri iudices dicebantur, quaſi litium diremptores. Hotomanus in lib. de optimo genere interpretandi, hinc, ait, Iuriſconſultos iuſtitiæ ſacerdotes appellari videmus, quippe qui iuſtitiæ deæ oracula, & reſponſa conſulentibus enuntiẽt. Sic enim ſenſiſſe Vlp. mihi quidem dubium videri nõ poteſt,

ta-

tametſi longè aliter verba ipſius ab eruditiſsimis
quibuſque vulgò intelligantur. Sic autem & legen
dum, & interpungendum eſſe locum exiſtimo. Ius
eſt à iuſtitia appellatum (nã vt eleganter Cel-
ſus definit, ius eſt ars boni & æqui) cuius mer
tò nos quis ſacerdotes appellet. *Vt vox, cuius,*
non ad ius, ſed ad iuſtitiæ deæ nomen referatur.
Cùm ſatis conſtet non artis alicuius, ſed deorũ ſa
cerdotes dici conſueuiſſe. Horum ego interpretum
explicationem verbis iuriſconſulti egregiè conue-
nire, vel ex his quæ ſequuntur, mihi libens perſua
deo, Ea ſunt. Iuſtitiam namq; colimus, boni,
& æqui notitiam profitemur, æquum ab in-
iquo ſeparãtes, licitum ab illicito diſcernẽtes.
Quæ verba, ſicut definitionẽ iuris, de æquitate ple- 38
riq; intelligũt, ſummũ ius mitigãte. Quod ego, quo
poßit ſtare modo, nõ video. Primum, quia æquitas
aut amplior, et anguſtior eſt q̃ ius, vel cõtra. Si an-
guſtior eſt æquitas iure, quî fieri poteſt, vt ius æqui-
tatis ars rectè dicatur: quãdoquidẽ æquitas ius cor
rigit, emẽdat, et interpretatur: cõuenientiùs tũc di
ceretur, æquitatẽ iuris artem eſſe. Si verò æquitas
ſub iure, tanq̃ ſpecies ſub genere cõtinetur. Pecca-
uit ĩ diffinitione iuris Celſus quãdoquidẽ ius gñrali

ter ſumptum,& rigorem, & æquitatem continet: ſeueritatiſque non minus, quàm facilitatis artem ius eſſe, dicere oporteret. Deinde ſi vt Salomonio & Connano placet, æquitas ſcripto contineri non poteſt: ſed cùm primum quod æquũ eſt lege, vel ſtatuto diſponitur, nomẽ æquitatis amittit, vocaturq́ ius legitimum, deridendus certè eſt Iuriſconſultus, qui earum rerum eſſe artem ius dixerit, quæ nullo iure continentur. Quòd ſi dixerint iuris vocabulũ generale eſſe, cuius ſpecies, æquitatem, atque ius legitimũ, Salomonius atq́ Connanus aſſignant: in hac ſententia triplex latet morbus. Primus, quòd de ea re, quam ipſi incertam fatentur, artem dicant eſſe. Secundus, quòd cùm ius generaliter ſumptum, hic diffiniri affirmẽt, atque illud duas continere ſpecies dicant, turpiter labi ſinunt iuriſconſultum, dum ex duabus generis partibus, vnam volunt in definitione præteritam. Tertius, ſi quo fateri modo cogeremur, ex hiſduabus iuris partibus, vnam tantum intellexiſſe Celſum, de ſcripto & certo iure, non de æquitate hîc agi dicendũ eſſet: cùm paulò poſt idem Vlpianus, ad partes huius artis & definitionis deueniens, huius dicat ſtudij duas eſſe poſitiones, publicum, & priuatum,

quibus

quibus omnia iura diuina & humana, ſcripta &
non ſcripta continentur. Sed nolo hac in re diutiùs
eſſe moleſtus. Hoc meum hac in re iudicium nemi
nem ſequi cogo, niſi probauerit: ſi quoddam aliud
eſt ſuum, vel alterius cuiuſpiam, quod ſibi ſimilius
veri videatur, ſtet illi, per me libenter aſſentior.
Neque enim quicquam tam mordicus aſſeuero,
maximè cùm ipſum verum tam in occulto lateat,
quin iudicem aliud aliàs mihi poſſe videri. Jam 39
quid ſit licitum ab illicito diſcernere, vno verbo
monſtremus, vt deinceps ad reliqua veniamus. Id
egregiè oſtendiſſe, vt pleraque omnia, Ciceronem,
in oratione pro Lucio Cornelio Balbo exiſtimo, dũ
inquit: quid ait accuſator feciſſe Pompeium,
quod ei facere non licuerit, quod grauius eſt, quàm
ſi id factum ab eo diceret, quod non oportuiſſet.
Eſt enim aliquid quod non oporteat, etiam ſi licet.
Quicquid verò non licet, etiam non oportet. Hac
ille: quaſi diceret id ſolummodò nobis licere, quod
decorè, moderatè, modeſtè, continenter, temperan-
terque poſſimus. Si quicquam ſit huic talium vir-
tutum choro contrarium, id illicitum eſſe, quòd ſi
illicitum, inutile omninò eſſe exiſtimandum. Illud
notandum eſt, quod ait, Iuſtitiam namque co-

limus, boni & æqui notitiam profitemur.

40 *Quibus docemur, iuris ac legum profeſſoribus in primis neceſſe eſſe vt virtutes, & earum partes rectè norint, cùm ſint illæ principia, & fontes, vndè æqui & iniqui, liciti & illiciti haurienda natura ſit. Vndè non indoctè Lucas de Penna in.l.1.C.de metropol.lib. 11. tradit, virtutum materiam ſcribere, ad ſimplicium iuriſtarum eruditionem, vtilius eſſe, quàm repetere.l.Gallus. Quod ſi fieret, nō illud certè eueniret, quod videmus ſæpè facere interpretes, vnius incertæ (ne dicam falſæ) concluſionis occaſione, innumera annectere, quæ nulli, vel mediocriter erudito, probari poſſunt. Vbi enim principium ignotum ponitur, finis autem, & media ex ignoto tracta inuicem connectuntur, inde collectam aſſertionem quonam pacto ſcientiam nominabimus?*

De ratione præmij, & pœnæ.

LIBER V.

1 BOnos nō ſolùm metu pœnarum, verùm præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes. *Duo præcipuè ſunt, quæ ex his verbis ſolent deduci. Primum eſt, ex eo iuriſprudentiam reliquis omnibus facultatibus longè præcellere,*

cellere, quòd eò tendat, vt boni omnes efficiamur. Quantò igitur iuſtitia reliquis virtutibus ſit nobilior, tantò & ius cæteris artibus præſtare. Qua de re Fortunij in tractatu de vltimo fine, oratio, nihil prætereũtis eorum, quæ pro hac cauſa dici poſſunt, me mouet, ne diutius de ipſa diſputẽ. Illa verò de- 2
ridenda contentio eſt, quæ pleroſq; leguleiorum angit, atq; fatigat, ſint ne Iuriſperiti Medicis præferendi. Ac ſanè Medicinæ profeſſores legum doctoribus eſſe præferendos, probari poſſe videbatur hoc pacto. Res omnes quæ fiunt, quæ futuræ, quæq; factæ ſunt, vel natura, vel fortuna, vel arte fieri, inter philoſophos conſtat. Maxima verò quæq; atq; pulcherrima à natura, & fortuna fiunt. Ars autẽ, accepta à natura magnorum, primorumque operum generatione, fingit, efficitque minora omnia, quæ artificioſa ab omnibus appellantur. Si quem 3
verò naturæ & fortunæ nomina perturbant, ſciat naturam, vt ſuprà in definitione iuſtitiæ docuimus, eſſe ſummi Dei voluntatem, qua omnia principia, ac ſimplices qualitates, quæque ex eis ſunt, creata eſſe, omnes credimus, & fatemur. Fortunam verò obſcuram eſſe cauſam, docent Plato, Seneca, atque Diuus Auguſtinus

*lib.1.retracta.cap.1. & Cicero in Topicis ad Treba-
tium. Cùm nihil, inquit, ſine cauſa fiat, hoc ipſum
eſt fortuna, euentus, obſcura cauſa, quæ latenter
efficitur. Quam etiam ſententiam lib. 1. Acade-
micarura quæſtionum cōfirmauit. Quòd ſi ſic eſt,
eas artes excellere, præhabendaſque cæteris eſſe,
quæ potiùs naturam imitantur, magiſque vim
ſuam cum natura communicant, negari non po-
teſt. Sed ciuilis diſciplina, parua quadam parte
cum natura, magna verò cum arte concurrit, er-
go iuriſprudentiæ, vel agricultura, non ſolùm me-
dicina eſt præferenda. Verùm non eſt cur de re tam
aperta, plura verba faciamus. Ex ijs quæ ſuprà
tradidimus ſatis cōſtat, iuſtitiam, temperātiam,
æquitatem, bonitatem, reliquaſque virtutes, homi-
ni multò raagis ſecundū naturā eſſe, quàm vires,
diuitias, pulchritudinem, ſanitatē, & reliqua quæ
vulgò putantur bona. Quòd ſi quis mores inſtrue-
re, & ciuitatis & ſingulorū actus componere, mo-
derari cupiditatibus, cohibere appetitus, multò ex-
cellentioris negaret eſſe facultatis, quàm de corru-
ptis humoribꝰ, & atra bile agere, is vel ab ipſis me-
dicis deſperatus, ad agnatos & gentiles eſſet dedu-*
4 *cendus. Illud magis ad rem, finem iuriſprudentiæ.*

eſſe

eſſe, bonos efficere ciues, media autem, ſiue inſtrumenta, quibus efficitur, præmia eſſe, et pœnas: vt dicitur in. l. & virtutem. C. de ſtat. & imaginibus, et in Clem. cupiẽtes, de pœnis, et optimè docet Ariſt. lib. 3. Ethic. c. 1. et. 5. & author eſt Cicer. lib. vnico epiſtolarum ad Brutũ. Solõ, qui et ſapientiſsimus fuit ex ſeptem, & legum ſcriptor ſolus ex ſeptem, Rempub. duabus rebus contineri dixit, præmio, & pœna, de quibus nobis pauca dicẽda ſunt: illud verò ſciendum, ſ. potiſsimam harũ partium eſſe, præmijs afficere bonos, quoniam hãc partem iuſtitia per ſe intendit. Punit autem malos ad finem ſolũmodo præmiationis bonorum, ſcilicet, vt boni tutiùs poſſint viuere, timore malorũ ſublato, vt Plato lib. 9. de legib. docet, dicens, legumlatoris finem eſſe, quacunq; id ratione fiat, ciues bonos, beatoſq; efficere: punire autem malos, neceſsitatem potiùs eſſe, quàm voluntatem. Aptè etiam, hoc idem nos docet Ioann. 22. in extrauagant. titul. de pœnis, dũ ait, Dierum creſcente malitia videmus mundum in deteriora iugiter prolabi: ſic hominum mentes aſſueta deprauãte nequitia, malis paſsim cumulum ſuperaddi, vt & boni qui aliâs odirent delinquere virtutis amore, interdum

terdum cum peruerſis admixti, concurrere
cum illis in illicitis habeant, & in apertã ma-
litiam proſilire. Eſt enim compeſcenda ma-
lorum audacia, vt ſaltem pœnę formidine re
trahantur à noxijs: ſicq; boni ſectando virtu-
tem meliores effecti, non cogantur cum illis
5 perire. *Quæ quidem vniuerſa paulò nos concida
mus minutiùs. Sunt quæ à nobis fieri poſſunt offi-
cia duplici conſideranda modo: aut enim ſunt pu-
ræ virtutis opera, aut ex eo egregia nominantur,
quod in Reipu. vel alicuius commodum facta fue
6 rint. Quod àd primum attinet, quiſquis ſiue à
principio ſummi boni conceperit imaginem, quam
ſequatur, vltroq; appetat, ſiue forte intelligens ſe
in deligendo genere vitæ erraſſe, accenſus repentè
amore melioris propoſiti, faciendam morum, inſti
tutionumq; mutationem cenſeat, virtutẽ propter
ſeipſam amplexatur: non vllo præmio, vtilitate,
aut emolumento ductus, quod ab hominibus dari
poſſit. Expectans namq; res, & fructuoſas, & ſem
piternas, contentus degit rebus ſuis, nulla re egẽs,
nihil ſibi deeſſe ſentiens, nihil requirens ad beatè
viuẽdum. Quod tamen, non, ita accipiendum eſt,
quaſi nullum bonis, etiam in hac vita propoſitum
præ-*

præmium ſit, virtutis atque iuſtitiæ. Illud potiùs ſciendum, vendicare quoque ſibi hanc curam Deum, vt ſacra mandata cuſtodientibus, cælum demittat tempeſtiuas pluuias, terraque fundat prouentus frugum omnis generis (vt in Deuter. c.11. & Leuit. c.26. promittitur) ne mentis cogitationes, & manuum conatus impediãtur, quominùs gnauiter ſe gerant in ſerijs ſtudijs: frui præterea bonos viros interioribus iuſtitiæ præmijs, quibus cogitari in vita nihil poßit vtilius, aut honeſtius: ea ſunt excelſitas animi primum, qua quicquid humanum, corruptibileq; eſt contemnunt: incorporeas, intelligibileſq; res, ſemotis ſenſibus, vt miniſtris brutæ partis animæ, mente verò & ratione in conſilium adhibitis, conſiderantes. Deinde gaudiũ replens tranquillitate, ac pace totã animam, lætam innocentibus actionibus cum virtute coniunctis, etiam ſi nulla voluptas accedat. Poſtremò Dei contemplatio: vbi enim purgatus quiſquã affectibus, tota anima, tota mente, totis viribus Deũ quærit, miſeratur ſine dubio miſericors pater, neq; negat ſui contẽplandi copiã, quantũ humana natura capax eſt diuini myſterij, videlicet, vt agnoſcat, præ omnibus Deũ verũ, cæli, mundiq; opifi-

*opificem,rerum omnium conditorem, hominũ pa-
rentem benigniſsimum,& quem miſit Ieſum Chri
ſtum diligendum,verendum, & obſeruandum eſ
ſe. Quem optimum,ac ſanctiſsimum ſtatum, vbi
ſemel animus eſt conſecutus,quaſi gubernator in
puppi ad clauum ſedeat,curſum rerum humana-
rum modeſtè,prudenterq; moderatur: impensè cu
7 piens diſſolui tandem, & eſſe cũ Chriſto. Ex qui-
bus illud iam apparet, non eſſe cur de hac re Pla-
tonem & Ariſt.pugnare inuicem ſuſpicemur. Dũ
enim Ariſt.in Metaph.& in Ethic. ait, poſſe nos
ad felicitatẽ ſpeculatiuam in hac vita peruenire,
licet in.3.de anima,nullam de hac re firmarit ſen-
tentiam, intelligendum eſt Ariſt.in hac quæſtione
nullum de vita æterna, fruitioneque Dei, ver-
bum feciſſe. Sed dum vitam ſpeculatiuam, felici-
tatem appellat, reliqua omnia, quæ in vita ſunt,
quæq; fieri poſſunt, conſiderat: quæ omnia ſi vitæ
ſpeculatiuæ comparentur, vileſcunt omninò, nec
aſſis facienda ſunt. Plato verò in lib.de Repu.&
lib.10. de legib.& in Philebo, ſummum bonum eſſe
profitetur, primam rerum omnium cauſam, puriſ
ſimum bonitatis & pulchritudinis fontem contem
plari. Quod in Phædone fieri non poſſe ait, in hac
vita,*

vita, ex eo quòd vera gaudia, immortales ſcientiæ & bonitatis diuitiæ nobis ſint in cœlo recondita. Quibus vt idem ait in Sympoſio, poſt mortē, intellectus contemplatione, fruitioneq; voluntatis ſuauiſſimè vtemur. Quam rem dum Plato conſiderat, & rimatur, nihil mirum ſi voluptates omnes etiam ſapientiæ & ſpeculationis, quæ in hac vita homini poſſunt cōtingere, ſpernat prorſus, & vilipendat. Altera noſtrarum operationum pars, quæ 8 *ex eo officij nomen ſortita eſt, quòd vel in reipub. vel in alicuius priuati commodum et vtilitatem cedat, plerunq; non tam ſua vi, quam emolumento captans aliquo, nos trahit ad ſeſe. Unde neceſſe eſt diuerſa proponi præmia, quibus ineſcati iuuenes, qui bellicam laudē ſequuntur, ſtrenuè pugnent fortiterq; hoſtem, nullo metu adoriantur: qui vero togati rempub. ſunt gubernaturi, à ſapientiæ & literarum ſtudio, nullo tempore aut otio abſtrahantur, voluptate auocētur, aut ſomno retardentur. Qua in re perſona facientis, beneficij vis, præmij genus, & publicæ facultates, quid cuiq; debeatur, quidq; ſit illi tribuendum, oſtendunt. De quibus nulla poteſt tradi regula certa, cum euentu & occaſione, nō perpetuo ordine iudicentur: quòd ve*

rò res patitur optimè à iuriſconſultis digeſtũ eſt. Nec deſunt apud eos innumera præmiorum genera bonis & in pace, & in bello viris propoſita, quæ non vna aut altera lege, ſed innumeris ferè titulis complectuntur lib. 10. C. & alibi de ſtatuis & imaginib. de captiuis & poſtlimi. reuerſ. de re militari. De caſtrenſi pecul. de priuileg. veteranorum, de decurionibus, de muneribus & honoribus, de iure immunitatis, quæ omnia tempore & circunſtantijs metienda ſunt, de quibus Cicero lib. 2 de inuentione, in hanc ferme ſententiam ſcripſit. Ratio præ
9 *mij diſtribuitur in beneficia, hominem, præmij genus, & facultates. Beneficia autem quæruntur ex ſua vi, magna ſint, an parua, facilia, an difficilia, ſingularia, an vulgaria. Ex tẽpore, ſi cùm indigeremus, cùm cæteri nõ poſſent: cùm ſpes deſeruiſſet, collata ſunt. Ex animo, ſi non ſui commodi cauſa. ſed vt opitularetur, fecit. Ex cauſa, ſi nõ fortuna ſed induſtria beneficium collatum eſt, vel ſi induſtriæ fortuna obſtiterit. In homine verò cõſideratur quibus rationibus vixerit, quid ſumptus aut labo ris inſumpſerit, ſi quid aliquando tale fecerit, nũ alieni laboris, aut diuinæ bonitatis præmium ſib poſtulet, num aliquando ipſe talem ob cauſam*

præmium

præmium alicui negauerit, ſatisne pro eo quod fecerit honos habitus ſit, an neceſſe fuerit ei facere quod fecit, an ſit id factum, quod ni feciſſet, pænam mereretur, non quia fecit præmiũ: num ante tempus præmium petat, num quo ſuppliciũ vitet, præmium poſtulet. In præmij genere attenditur quid, quantum, & quamobrem poſtuletur, quo & quãto quæq; res præmio digna ſit, quibus hominibus, et quibus de rebus talis honos ſolitus ſit haberi, ne is honos nimis peruagetur. Facultates poſtremò, cùm aliquod præmium pecuniarium poſtulatur, inquirendæ, videndumq; copia ne ſit agri, vectigalium, pecuniæ, an penuria. Quam eandem rationem facilè nos ad diſtributionem pænarũ tranſferre poſſemus. Quanuis enim ferè omnibus, quæ cõmitti poſſunt criminibus, legibus ſtatuta ſit certa pæna, ſunt tamen quamplurimæ cauſæ, quibus aut differri, aut minui, aut etiã tolli poßit omnino. Quapropter rectè ſcriptum eſt in. l. hodie. ff. de pænis, pænas hodie eſſe arbitrarias, non quòd ad libitũ poſſit iudex nocentes homines impunitos relinquere, ſed quòd ex cauſis quæ incidunt, minuere, augereue poßit à lege pænam impoſitam, vt probatur in l. & ſi ſeuerior. C. de his qui not. infam. & in. l. quid

ergo §. pœna grauior. ff. eo. tit. & in. l. 1. C. de deſertorib. libr. 12. Quod tamen, ſcilicet crimini obnoxijs parcere, proprium principis munus eſt in iudicijs. Namq́; probari vix poteſt hoc genus: ſiquidē conceſſo peccato, difficile eſt ab eo, qui peccatorum vindex eſſe debet, vt ignoſcat impetrare. Cum iudicem clementiorem lege eſſe non oporteat, auth. de iudicibus. §. oportet, cumq́; ſit miniſter legis, & iuret omnia ſecūdùm legem agere, auth. hodie. C. de iudic. non debet legem à qua ius & imperium habet, in aliquo violare. l. 1. ff. à quib. appell. nō lic. & c. ſi omnia. 6. q. 1. l. 2. ff. de exhib. reis. l. qui Romæ. ff. de verb. oblig. & l. 4. §. ſi quis. ff. de re iudic. Quæ tamen ita accipienda ſunt, niſi ſubſit, vt modo dicebam, cauſa, qua vel conſulto principe, vel ſi minus id neceſſe eſt, ſuo arbitrio, iudex legis ſeueritatem temperet. De cauſis poſtea dicemus: illud

11 *ſciendum, in iudice requiri vt appareat cauſa, neque credi è republica feciſſe illum, niſi indulgentiæ ratione manifeſtè probata. In principe verò an legitima præſumatur cauſa, quàm fieri poteſt breuiter, videamus. Ac ſanè principis voluntatē iuſtam eſſe cauſam, vt vel iura ſoluātur, ait glo. in l. relegati, quam ſequitur Bart. ff. de pœn. Bald. in*

l. reſcripta

l.reſcripta Cinus,& alij.C.de precib.imperato.offerendis. Abb.in.c.cum olim,& in.c.in cauſis de re iudica.Dominic.in.c.grandi de ſupplend. neglig. præla.in.6.& Anto.in.c.cũ inter de renũti Quin Bald.in.c.cum ſuper de cauſ.poſſ. aſſerit,Papam atq; principem ex certa ſcientia,ſupra ius, & extra ius,& contra ius omnia poſſe. Ex quib.illa ſequuntur:poſſe principes ad libitũ ius ciuile tollere, vt nonnulli tradunt. dd. in. c.propoſuit de conceſſi præben.& in clem. 1. de immunita eccleſ. Similiterq; poſſe legitimare ſpuriũ in legitimæ prolis præiudicium Bald. ſcripſit in.c. dño guerrã,in tit.hic finitur lex Corradi,in vſibus feud. Imo etiã ſi iam filijs legitimis ſit ius quæſitum poſt mortem patris, iamq; hæreditatem adierint,adhuc in eorum præiudicium ſpuriũ legitimari poſſe, Dinus cõſilio 22. & Paul.de Caſtro cõſ.225.& Alex.de Imol.cõſ. 2.col.6.volum.1.putauerunt.Ex eo nempe quòd vt Felin.ait in.c.quæ in eccleſiarum de conſtitu. ſemper iuſta cauſa præſumitur in principe,etiã ſi non appareat. Atque hæc omnia non ita præteruolant illi,ſed adeo dilatant, vt non mediocrem curam adhibeant,et diligentiã:quæ ego profectò,parcius vt dicam,dubia,incertaq; eſſe,mihi iam dudũ per

 ſuaſi.

ſuaſi. Quãuis enim princeps legibus ſolutus ſit, tamen vt docet Caſius in.l. princeps. ff. de legibus, non eſt abſolutus à iuſtitia, quæ cuiq; tribuit, quod ſuũ eſt: imo tantò plus ei hæc eſt virtus neceſſaria, quã tò altior eſt ſuæ eminentiæ celſitudo. Quod verò quidam in.l. quo minus. ff. de flumi. aiunt, hãc communem ſentẽtiam, ſcilicet in principe præſumi cauſam, procedere in his quæ ſunt iuris poſitiui, in quibus ad libitum poteſt tollere, vel non tollere: in illis verò quæ ſunt iuris naturalis, aut gentium, quibus nuda principis voluntate derogari non poteſt, præſumptam cauſam non ſufficere, ſed requiri, quòd ſit vera & iuſta, & expreſſa: adiunguntq; hãc opinionem tenere Abbatem in. d. c. quæ in eccleſiarũ, Bald. in. c. 1. de natura feud. & in.l. ſi teſtamentũ C. de Teſtamen. & Roman. conſ. 352. vtrunque rectè diſſoluitur. Nã primũ Abb. potius firmat cõtrarium: deinde quam pro ſe rationẽ allegant, non arbitror in diſtinctè verã, cùm doctè Panormitanus in. d. cap. quæ in eccleſiarũ & in. c. de multa ſcribat, vbi non ſubeſt legitima cauſa ſoluendi ius poſitiuũ, peccare principem illud violando: cùm meminiſſe eũ oporteret datam ei eſſe poteſtatẽ paſcendi gregem, non turbandi, ſeu moleſtandi. Et ius quoq;

prin-

principẽ iura violare dicit diſpenſando,in.l.qua in prouintia.ff.de ritu.nup. Quo fit,vt ad diſpẽſatio nem legitimã, requirat cauſam inſignis text.in.l. relegati.ff.de pæn. quodq; de ſummorum principũ poteſtate dicitur,cum grano ſalis,hoc eſt, claue diſcretionis,ideſt,rationis,non errante, intelligit glo. in.c.quãtæ de iure.iur.quã ibi canoniſtæ cõmendãt: præcipuè Bald.dicens verbum illud fixè tenẽdum cordi,rectè vt ego cenſeo. Nã dicere,poſſe ius poſitiuũ principẽ nulla cauſa ſoluere,idẽ eſt,ac ſi nullo iure,nulla ratione diceretur. Quidquã verò nulla ratione agere,vix eſt pecudis,nedũ hominis. Deinde iã ſatis cõſtat,ius naturale vel gentiũ abſq; cauſa,nec à principe mutari poſſe.l. quaris.ff.de nat a. reſ.& in.l.qui ſolidũ.§.1.ff.de leg.2.& per Imol. in c.venientes de fil.præſbitero,& in.c.vnico de ætate et qualita.et in.l. bonorũ. C. qui admit. ergo cũ ius poſitiuum & ciuile nõ ſit omnino diuerſum,nec in totũ recedat à iure naturali vel gentiũ. l ius ciuile ff.de iuſt.et iur. ſed ab eodẽ fonte,quo et ius naturale deriuetur (iura enim per ora principũ diuinitus promulgari in decretis patres tradiderunt) paulò minus principes,non ſubſiſtente cõtraria rõe,ad obſeruationẽ iuris poſitiui,quã naturalis,aut gentiũ

*tenentur. Vndè illud euenit, vt facto in aliquē com-
promiſſo, vt ſecundū ius arbitretur, intelligatur ſe-
cundum ius poſitiuum, nō gentium, naturaléue. Iu-
dicē quoq; oportere ſecundū æquitatem iuris poſi-
tiui procedere, non ſecundùm æquitatē informatā
à iure naturali, tradidere recentiores in. c. ex parte
2. de offi. deleg. Soci. in conſ. 85. incipienti, viſo cō-
promiſſo. 1. part. & Card. conſ. 144. Obligationem
etiā ciuilē, per ſe ſolā, maioris eſſe efficaciæ, quā na-
turalem ſolam videmus. Ex naturali namq; nō da-
tur actio. l. iuris gentiū. §. igitur nuda. ff. de Pactis
benè autem ex ciuili, vt ex obligatione literarum
poſt biennium. Similiterq; poſſeßio naturalis, ſine
ciuili, non ſufficit ad præſcribendum, benè autem
ciuilis, Bart. in l. 1. ff. de acqui. poſſe. Vndè etiā in
foro conſcientiæ, ex ſimplici promiſsione nō robora-
ta fidei interpoſitione, vel iuramēto, nō oritur obli-
gatio, cuius impletio ſit neceſſaria ad ſalutē, cap.
literarum, de voto, & tenet Richardus de media
villa, in. 4. ſenten. diſtin. 34. q. 3. & Felin. in. c. 1. de
pact. Quorum omnium eſt ratio (vt dici ſolet) fun-
damentalis, quia cùm ius poſitiuū nō ſit aliud, niſi
ſpecificatio naturalis rectitudinis expreßiua, ma-
gis congruit, & magis adaptatur actibus hominū,*

ad ius magis ſpeciale. Vt enim Vlpia. lib. 1. inſtitu. ait, ius ciuile eſt quod neq; in totũ à naturali vel gẽtium recedit, neq; per omnia ei ſeruit. Itaq; cũ aliquid addimus, vel detrahimus iuri cõmuni, propriũ, ideſt ciuile, efficimus. *Quare principem ferè ita religioſum eſſe decet erga ius ciuile, quã erga ius naturale vel gentiũ. Intelligo autẽ teneri eum ad obſeruantiam iuris poſitiui, nõ vinculo ciuili & ſuperioritatis, ſicut obligamur inferiores. Siue enim ipſe conſtituerit, ſe ipſum ſibi non poteſt obligare, ſiue ab altero principe lata ſit lex, par in parem non habet imperiũ. Sed dicimus teneri obſeruare ius ciuile, eodem vinculo, quo obligatur, & conſtringitur à iure naturali vel gentiũ. Ex eo ſcilicet quòd ab eodem fonte, quo & prima iura deriuetur, rationeq; & æquitate ſtabiliatur: quibus manẽtibus, nulla eſt prĩcipi cõpia, quidquã inuita ratione mutãdi. Nec obſtat quod à Theodoſio & Valentiniano in. l. reſcripta. C. de precibus imp. offeren. dicitur, poſſe principem pœnas remittere delinquentibus: nec additur, cum, vel ſine cauſa, imo intelligunt ibi communiter doctores, poſſe, nulla exiſtente occaſione: aſſerentes illã eſſe exceptionem regulæ ſuperioris, qua cauebatur ne iuri*

contraria

contraria impetrarētur, quòd intelligitur ſine cauſa. Ego verò potius crederem etiam poſt cōmiſſum delictū, quanuis pœna ſit corporalis, nec veniat applicanda parti, non expedire ſine legitima ratione illam totam remitti. Primùm quia quanuis ſingulares pœnæ, & earum quantitas ſit iuris ciuilis, delicta tamen omnino impunita relinqui, iuri naturali aduerſatur. Quinimo quod ad ipſam quantitatem punitionis pertinet: quandoquidē miniſter iuſtitiæ princeps dicitur, ſeruare æqualitatē inter ciues debet. Vndè vt omnibus remittere non eſſet clementiæ, ita & aliquibus nulla ratione, ſatis iuſtum non foret, quandoquidem iuſtitiæ virtus perſonam nō accipit, ſed æqualitatem, paritatemq́; inter omnes ſuo iure ſeruat. Rectè igitur illuſtriſsime præſes, voſq; illuſtres conſiliarij cameræ, & ſenatores, humanitate ſeueritatem, ſeueritateq́; humanitatem temperatis. Vt enim optimè Cicero ad Brutum, inquit, ſalutaris ſeueritas vincit inanem ſpeciem clementiæ: meminiq; ipſe cùm pro multis qui ſeſe mihi committebant, parentem precarer meū (fuit enim ille cameræ conſiliarius Caroli quinti Romanorū Imperatoris) ab eo ſæpe me audiuiſſe, facilitatem veniæ incentiuum eſſe delinquendi: ideoq;

ideoq; principes rarò debere ſimilia, niſi ex honeſta cauſa concedere. Vnde credo de hac re inconſideranter loquutum Iaſ. in d. l. quominus, neq; enim Alber. Romanuſq; loquuntur in ea ſpecie de qua ipſe intelligit, ſed potius iuſtiſſimè, & rationabiliter aiunt, principe infringente contractum initum cum ſubdito, quo ambo iure gentium & naturali tenebātur, cauſam niſi expreſſam nō præſumi. Abſurdum nanq; eſſet, poſſe illum nulla ratione, contracta ſecum firmata reſcindere, contradicente. l. Cæſar. ff. de publica & c. 1. de probatio. Atq; hæc 12
quidem ita ſe habent, nunc cauſas videamus, quibus exiſtētibus, pæna à iure ſtatuta, ab æquitate, ipſo etiā iure nō repugnāte, augetur, protrahitur, minuiturue, aliquādo etiā omnino cōdonatur. Scripſit And. Tiraquel. librum de pænis, in quo copioſa, & multa oratione, ſexaginta quatuor cauſas enumerat, quibus pænæ legum, ac conſuetudinum, ſtatutorumq; temperandæ ſunt, aut etiam remittēdæ. M. hi commodius videtur, non ſingula perſequi quæ ſunt infinita, ſed fontes vnde illa omnia fluxerunt, quos ille non aperuit, atque etiam itinera ipſa demonſtrare: ea ſunt huiuſmodi. Iu- 13
riſdicialis generis in quo æqui & iniqui natura,

præmij

pręmij,aut pęnę ratio continetur,duę ſunt partes: quarum alteram abſolutam,alteram aſſumptiuā nominamus. Quę inter ſe eo differunt,quòd abſoluta non vt negotialis implicitè, et abſconditè, ſed patentius & expeditius,recti & nō recti quæſtionē continet. Item in abſoluta quid iuris ſit quęritur: in negotiali,quid iuris eſſe debeat. Poſtremò in abſoluta quod legibus ſtatutum eſt ius,notumq́; omnibus quęritur:in aſſumptiua autem ſeu negotiali qualitate,ius efficitur ſententia iudicis. De abſoluta non eſt noſtri muneris agere:patet enim quę cuiq; delicto ſtatuta ſit pęna,multisq́; id titulis cō-
14 *tinetur. Id ſumimus inueſtigandum, quibus cauſis ius id certum mutetur,quod ad aſſumptiuam pertinet:cuius partes ſunt quatuor,comparatio,relatio criminis,remotio criminis,conceſſio,in quibus ſiue facta puniātur,ſiue dicta,ſiue ſcripta ſiue cōſilia,ex cauſa,perſona,loco,tēpore,qualitate,quātitate,euentu ſumēdum ius eſſe, Claudius Saturninus iuriſconſultus in.l.16. ff de pęnis,tam benè docuit,vt nihil ſupra. Nos quod inſtitueramus*
15 *proſequamur. Comparatio eſt cùm aliquod factū quod per ſe ipſum non ſit probandum, ex eo cuius id cauſa factū eſt,defenditur. Cuius generis ſunt*

plurima

plurima apud iuriſconſultos exempla,ex quibus
pauca quædã proferemus. Si vel reus nimis ſit gra
tioſus in ciuitate,vel iudex non tantæ authorita-
tis,vt delictum poßit impoſita à lege animaduer-
ſione punire,melius eſſe mitiorem pœnam impone-
re,quàm delinquentem impunitum relinquere,in
c.quidam cum bonorum,& in.c.ſi eccleſia 23.q.4.
diſponitur. Qua in ſpecie patet,iudicationem cõpa
ratiuam eſſe, cum pœna à lege ſtatuta reus puniri
non poſſet,ſatiusne fuerit reum impunitum relin-
qui,an leuiori pœna plecti. Similiter in.c.cõuenien
tibus.1.q.7.& in.c.vltim.de diuortijs, & in.c. vl-
tim. qui filij ſint leg.ſi ea ſit cõditio peccantis,vt eo
dimiſſo alij ad fidem,vel ad melioris vitæ frugem
facilius trahantur: mitigandam & ſi neceſſe ſit,
relaxandam pœnam,dicitur,conſtatq; iudicationẽ
comparatiuam eſſe. Nec aliter in.l.ad beſtias.ff. de 16
pœn.ſi communem doctorũ ſententiam ſequamur,
iudicatio eſt comparatiua. Conferuntur enim inter
ſe delictum, propter quod ſuppliciũ vltimum me-
rebatur reus,& vt ab eis dicitur,excellentia in ar
te,qua reipub.deſeruit. Quia vero huic rei ſubtili
ter ab aliquibus contradicitur,libet parumper cir-
ca intellectũ illius legis verſari, cuius ſunt verba.

Ad

Ad beſtias damnatos fauore populi præſes dimittere non debet, ſed ſi eius roboris, vel artificij ſint, vt dignè populo Romano exhiberi poſsint, principem conſulere debet. *Interpretes dum, exhiberi, ideſt, per gratiã relaxari exponunt, ad damnatos verbum referẽdo, annotandum exiſtimant. Excellenti in arte decapitando parcendum eſſe, ſi valde ſit vtilis reipub. And. vero Alcia. c. 28. 2. parergon. & Iuan. Cora. de iure ciuili in artem redigendo. 4. parte, cap. 18. dum hanc legem nouiter ac ſubtiliter intelligunt, à Doctoribus non verè expoſitam affirmant, nihil hic de minori pœna imponenda agi aſſeuerando. Dũq; ſequuntur communem verbi, exhibendi, interpretationẽ, ſcilicet palã facere, vt in. l. 2. ff. ad exhibẽd. ꝓpriè extra ſecretũ habere, vt apud Vlpi. in. l. quod & lex Fauia. ff. de lib. homi. exhib. præſidibus onus imponunt, vt ſi damnatos viderint, eius eſſe roboris & artificij, vt in ſpectaculis, quæ Romæ fiunt, oculos ſpectatorum morari poſſint, principem conſulant, an Romam velit damnatos mitti, vt beſtijs ſubijciãtur, in populi Romani muneribus. Mihi communis illa interpretatio non diſplicet, & ad hoc reſponſum pertinere cenſeo, nõ tamen eo modo*

quo

quo gloſſographi,exponere namque,exhiberi,ideſt, per gratiam relaxari,nec rectè fieri puto,nec id antiquorum authorum authoritate nititur,meritòq; credo in hac re illos ab Alcia.reprehenſos,qui eadem hæc quæ nunc acrius accuſat, alibi idem ipſe defendit lib.2.de verb.ſig.col.15.dicens, ſi ex delicto ad beſtias damnatus,propter ſingularē artificij ſcientiā,ad preces populi ex indulgentia principis poterit veniam conſequi. Quā ſententiā nullo alio iure probat,nulla alia ratione cōfirmat,niſi authoritate legis ad beſtias.ff.de pæn. Neque me mouet,dānatos à proconſulibus Romā ſolere mitti vt beſtijs ſubijcerentur,vt apparet ex Cicerone in.L. Piſonē,prope finē,dum ait:quòd populari illi ſacerdoti ſexcentos ad beſtias amicos,ſocioſq; miſiſti. Ego enim hoc loco verbū,exhiberi,nō ad dānatos, ſed ad robur potius & artificiū refero. Quod non ſolum ad induſtriā cōgrediendi cū belluis extenditur,ſed & ſolertiā ad quamcūq; rem peragēdam ac modū cōprehēdit,vt ibi omne artificiū per exercitiū ſuſcipit incrementū.l.legatis.§.ornatricibus. ff.de leg.3. Quin et ludi literarij magiſter artificis venit appellatione. duo ſocietatē coierūt *inquit Pau.in.l.duo.ff.pro ſocio.*vt grāmaticā docerēt,et

quod

quod ex eo artificio quæſtus feciſſent, cõmu ne eorũ eſſet. *Eſt igitur huius legis mẽs & ſentẽ tia, ad beſtias damnatos populo intercedẽte non di mittẽdos, ſed ſi eius roboris vel artificij ſunt, dam nati inquam, vt dignè poſſint, ſcilicet robur & ar- tificium eorũ Romanis exhiberi, princeps eſt con- ſulendus: non vt ad tam longum ſupplicium trahã tur, ſed potiùs vt inſigni robore atq; artificio, Po- pulo Romano inſeruiãt. Simile eſt quòd Vlpianus ait in. l. ſed & reprobari. §. amplius & illud, verſic. valde tamen, quod & ibi notat Bald. ff. de excuſ- ſa. tut. eum qui in propria patria docet, aut medica tur, ſi ex numero ſit, à tutela excuſari & ſic à cæte ris muneribus. Quem text. ad hanc ſententiã com mendat Fortunius in. l. 1. col. 17. num. 49. ff. de iuſ. & iur. Vulgaris eſt Paridis Putei de ſyndicatu.*

17 *§. an ſi iudex, ſententia, vltimo ſupplicio damnatũ meretrici petenti eum in virum, concedi oportere, ni de iure, ſaltẽ de cõſuetudine, ſecũdum Iacob de vellouiſo in pract. crimi. tit. de lenonibus, et Guliel mi Benedict. in repetitione. c. Raynutius in par- te, qui cum alia matrimonium contrahens, nume. 49. & in part. mortuo teſtatore, in primo, nu. 269. Chaſſanæus, in cõſuetudi. Burgund. rub. 1 §. 5. & Didac.*

Didac. à Couarruuias in epit. lib. 4. decretalium 2. parte principali. c. 3. §. 4. num. 17. Suffragantur etiā quæ tradit Imol. in. c. quæris de ætate & qual. vbi cùm deberent ab eccleſia deijci nōnulli clerici, propter crimen occultum, vel manifeſtū ſecundū Antoniū: ſi tamen aliàs fuerint valde vtiles eccleſiæ, vt quia diuites, potentes, vel artificioſi ſecun- Abbatē, Hoſtiēſem, & Ioan. Andr. diſpenſatur cum eis, vt beneficium obtinere poßint: quod notāt ibi Hoſtienſis Abb. Ioan. Andr. Ant. & cōmuniter. dd. & ne morer, lege Regia, tit. 32. de los perdones. p. 7. apertè præd. ſententia comprobata eſt, vt ibi Gregor. Lopez animaduertit. Oportet tamē quod ſit valde doctus & peritus, vt in. d. l. ſed & reprobari, dicitur: vel quod eius generis artifice egeat ciuitas, vt notatur in. d. c. quæris. Neq; licet ſæpe peccati veniam concedere: peccati enim incētiuum eſſet indulgentiæ facilitas. Quādo autem dicatur adeſſe reipub. vtilitas, eſt glo. vt dici ſolet, magiſtra, in ſumma, in parte quæritur. 74. diſtin. An verò damnatus talis ſit, cuius robur & artificium poßint dignè populo Romano exhiberi, videtur hoc relinqui arbitrio iudicis conſulto principe. Nam cū in hac lege de damnatis iam loqua-

tur iuriſconſultus, ſententiam diffinitiuã ſolum principem reuocare poſſe, probatur in.l.1.§. ſi quis vltrò.ff.de quæſtio. Si igitur ſumma huius partis cõcluſio, in relaxandis, differẽdisue, ſeu augẽdis à iudice, vel etiam à principe pœnis, cõparari neceſſe eſſe inter ſe, perſonam rei, qualitatem negotij, atq; abſolutionis, vel condemnationis cauſam, vt ſecũdùm rei geſtæ adiũcta, vel leui iure, vel dura ſeueritate vtãtur.
18 *Sequitur relatio criminis, cum reus id quod arguitur, confeſſus, alterius ſe inductum peccato, iure feciſſe demonſtrat: ſunt huius ſtatus multa in legibus diuinis, humaniſq; exempla. Ex quibus ſicut in comparatione fecimus, pauca proferemus, vt appareat quanta ſit relationis vis, non ſolum ad leniendam pœnam, ſed omnino abolendam culpam. Petrus dum Ananiam cum Sapphira vxore ſua mentientes morti increpando tradidit. Vt.c.5.actuũ legitur, & .23.q.8. cap. Petrus, nonne crimen in mortuos tranſtulit?* Ecce *inquit, ſcriptura. Nu.c.25.* Vnus de filijs Iſrael intrauit ad ſcortũ Madianitidẽ, vidente Moyſe, & omni turba filiorum Iſrael, qui flebant ante fores tabernaculi: quod cũ vidiſſet Phinees filius Eleazari, filij Aarõ ſacerdotis, ſurrexit

rexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, ingreſſus eſt poſt virum Iſraelitem in lupanar, & perfodit ambos ſimul, virum ſcilicet, & mulierẽ in locis genitalibus. *Credimus ne peccaſſe Phineem? an tranſlatione criminis in peccatum Zambri, ita enim dicebatur qui occiſus eſt, liberari?* dixitq́; , *inquit*, dominus ad Moyſem, Phinees filius Eleazari, filij Aaron ſacerdotis, auertit iram meam à filijs Iſrael, quia zelo meo commotus eſt contra eos: idcirco loquere ad eum, ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipſi, quã ſemini eius pactum ſacerdotij ſempiternum, quia zelatus eſt pro Deo ſuo, & expiauit ſcelus filiorũ Iſrael. *Nõ ſunt igitur homicidæ cenſendi, qui non propriã quærentes vindictam, ſed eccleſiæ diuino Zelo armantur, vt in. c. excommunicatorũ. 23. q. 5. dicitur, & Hieronymus ad Riparium, vt in. c. legi. 23. q. 8. refertur.* legi, *ait*, Syromaſten Phinees, authoritatẽ Heliæ, zelum Simonis Chananæi, Petri ſeueritatẽ, Ananiã & Sapphirã trucidãtis, Pauliq; cõſtãtiam, qui Elymã magũ vijs dñi reſiſtẽtẽ, æterna cęcitate damnauit. Non eſt igitur crudelitas, crimina pro deo punire, ſed pietas.

Ex quibus omnibus rectè illud ſequitur, quod eodem propoſito docet Diuus Chryſoſtomus ſuper Math. vt refertur in. c. occidit. 23 q. 8. non ſolùm reſpicienda opera, ſed tempus, cauſam, voluntatem, perſonarum quoq; differentiam & quantacunq; alia ipſis operibus acciderint, diligentiſsimè inquirenda, vt ſtatuta pœna pro qualitate rerum

19 *creſcat vel minuatur. Remotio criminis eſt, cùm eius intentio facti, quod ab aduerſario infertur, in aliũ, aut in aliud dimouetur: id fit bipartitò, nam tum cauſa, tum res ipſa remouetur. Cauſæ remotionis paſſim ſeſe offerunt in iure exempla. Neq; eſt neceſſe vno aut altero oſtendere, quantum remotio cauſæ, nõ in criminalibus tãtùm, ſed et in cõtractibus poſſit, cùm ab hoc fonte bona pars legũ effluxerit. De eo per quem factum erit, de Pactis, de condictionibus ob cauſam, de obligationibus et actionibus. Remotio criminis in rem fit: cum id, quod datur crimini, negat, neque ad ſe, neque ad officium ſuum, reus pertinuiſſe, nec ſi quod in eo ſit delictum, ſibi attribui cõuenire. Differt autem hoc genus à ſuperiore, quòd in illo oportuiſſe illud fieri, de quo accuſatur, liquidò fatetur reus, ſed alicui rei, aut homini cauſam tribuit, quæ parata volun-*

voluntati ſuę fuerint impedimento. In hoc autem nihil neceſſe eſt, in quenquam culpam tranſferre, ſed oſtẽdere rem illam nihil ad ſe pertinuiſſe. Huc pertinẽt multa, quę iure ciuili rectè cõſtituta ſunt: quale eſt legum miniſtros non debere legem examinare, rectè ne, an perperã à rege ſit lata, ſed illã, quando ita ſuperiori placet, exequi. Similiterq; lictores, quanuis iniqua ſententia damnatos, & virgis, & ſecuri cędant, nullam iniuriam facere, neque pœnam mereri: iudicis munus eſſe, non eorũ, videre meritò ne ſumatur vindicta. De timore pręterea potentię, qui à principibus, à magiſtratibus, ab omnibus denique ſuperioribus, incutitur ſubditis, deq; metu, vt appellant, reuerentiali, qui libertis à patrono, filijs à parentibus, vxoribus à maritis proponitur, multa multis in locis ſunt à doctoribus tradita, quę ad remotionẽ criminis omnia 20 *pertinent. Conceſſio eſt per quam non factũ ipſum, inficiatur reus, ſed vt ignoſcatur ei petit: hęc diuiditur in purgationem & deprecationẽ. Purgatio eſt per quam eius qui accuſatur, non factũ ipſum, ſed volũtas defenditur: cuius partes ſunt imprudẽtia, caſus, neceſſitudo. Imprudẽtia eſt, cùm ſciſſe aliquid, qui arguitur negatur, vt cùm Abimęlech*

rex Gerara, mulierem nuptam ab viro abſtuliſſe, accuſatus, purgatione depellit intentionẽ, inquiẽs, ipſe dixit mihi, ſoror mea eſt, & ipſa ait frater meꝰ eſt. In ſimplicitate cordis mei, & mũditia manuũ mearum feci hoc. *Caſus eſt cũ rem aliquam inopinatam demonſtramus voluntati obſtitiſſe. Vt ſi Tobias iunior parentibus moram increpantibus ſe excuſſet, recenſeatq́, quæ ſibi in itinere euenerint, qualiter ab immani piſce ſit liberatus, dæmoniumq́ Aſmodæum compeſcuerit, qui ſeptẽ viros Saræ filiæ Raguelis occiderat: denique nuptias, preceſq́ ſoceri voluntati obſtitiſſe, quominus ante venerit, diceret. Neceßitudo autem infertur cùm vi quadã reus, id quod fecerit, feciſſe ſe ait: vt ſi accuſati Mathathias, Iudaſque Machabæus, quod ſabbatum violent, aſſerant ſe neceßitate coactos bellum iniiſſe. Similiterq́ Dauid neceßitate dicat panes propoſitionis ſibi, ac pueris ſuis ab Achimelech ſumpſiſſe, quos non licebat ei edere, neque iis qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus: quod enim non eſt licitum in lege, neceßitas facit licitum, vt in. c. quod non de regul. iur. & in. c. ſi nulla 23. quæſt. 8. Horum autem trium, ſcilicet imprudentiæ, neceßitatis & caſus, perſimilis tractatio*

tio eſt. Quare de imprudentia ſolùm, & qui igno- 21
rantia excuſentur videamus: ob quam indulgeri cernimus ebrietati in. l. omne delictum. §. per vinum. ff. de re militari, & in. c. ſanè. & in. c. inebriauerũt. 15. quæſt. 2. inſaniæ, ac leuitati, in. l. 1. C. ſi quis imp. maledix. furori, in. l. congruit, & in. l. diuus Marcus. ff. de offic. Præſ. ſimplicitati, in. c. ſcriptura de conſecra. diſt. 2. ruſticitati, in. l. ſi quis id quod. ff. de iu. om. iud. & in. l. 2. ff. de in ius. voc. iuuentuti, in. l. auxilium. §. 2. ff. de. qq. c. 1. de delict. puer. c. vltimo de ſenten. excommunica. c. 2. de apoſt. Vnde à comico dicitur, iniuriam adoleſcentium accipiendam, & muſitandam eſſe, & Seneca de ira, à puero, vel à fœmina inferri poſſe negat iniuriam. Quarum diſpoſitionum ea potiſsimum eſt ratio, quòd prædicti impulſione, non ratiocinatione peccaſſe cẽſeantur. Eſt aũt impulſio, quæ ſine cogitatione, per quãdã affectionẽ animi, facere aliquid hortatur: vt amor, iracundia, ægritudo, vinolẽtia, et omnia ea, in quibus animus ita videtur affectus, vt rẽ perſpicere cũ cõſilio, et cura nõ poſsit. Ratiocinatio eſt diligẽs, & cõſiderata faciẽdi aliquid, aut nõ faciẽdi, excogitatio. Itaq; non improbo quod Marius Salomonius in. l. 1. in pri. ff. de iuſt. & iur.

æquitate receptã eſſe ait, Bal. opinionẽ in. l. data ope ra. C. qui accuſar, mitius cum eo agẽdum, qui for tuitò occidit, quàm qui conſultò: licet lex in diſtinctè ſiccarium occidi iubeat. Per quam ſentẽtiam Bartolom. Veronenſis lib. cautelarum meminit, ſe iudicio liberaſſe quendã, qui noctu prætereũtem iactu per laſciuiam lapidis occiderat: iterumq; & ſeſſorem, vt ipſe ait, currentis æqui, qui inuitus ho minem contriuerat. Simile quoq; illud, quod Caſtrẽ ſis in. l. 1. ff. de legibus tradit, legi ſcilicet, quæ iubet homicidam capite plecti, niſi intra menſem cẽtum fiſco perſoluerit, locum nõ eſſe in eo, qui imprudens occidit. Et Bald. in. l. quicunq; C. de ſerui. fugitiu. regulare eſſe docet, legem, corporalem pœnam infli gentem, niſi dolo delictum committatur, ceſſare: & Stephanus Forcatulus in cupidine iuriſperito, cap. 20. num. 10. de Hyacintho per imprudentiam à Phœbo interempto, talia homicidia, inquit, in publicis certaminibus ob virtutem factis contingentia, impunita ſunt. l. qua actione. §. fina. ff. ad. l. Aquil. Sed quia graue eſt hominem, vel caſu occidiſſe, Græci ea voluntario exilio vindicabant: ad ibat exul ſponte opulentiſſimum aliquem exteræ gentis hominem, ad expiandum facinus, vt ver-

ſibus

*ſibus Homericis Claudius oſtendit.l.aut facta. §.
euentus.ff.de pæn.Diodorus lib.5.narrat Peleum
Eaci filium, qui diſci iactu Phocũ fratrem ſub-
ſtulerat, mox ab Actore rege purgatum fuiſſe.
Quæ omnia ad imprudentiam facti pertinere vi-* 22
*dentur:quid autem de ignorantia iuris cẽſendum
ſit,videamus.Glo.in.§.ſuſpectus,inſt.de ſuſpe.tu.
ait,omnes debent ſcire iura,exceptis paucis:mulie-
ribus,& minoribus,& militibus,vt in.l. regula.ff.
de iuris.et facti.ignoran.& in.l.leges.C.de legibus,
& in.l.conſtitutus.C.de iur.& facti.ignoran. ergo
ſi quis, inquit, ignorat,eſt in culpa lata: cùm lata
culpa ſit,ignorare quod omnes ſciunt, vt in.l. latæ
culpæ.ff.de verb.ſigni. Quod Ioan.Fab.atq; Ang.
in d.§.ſuſpectus,cẽſent intelligendũ de iuribus vul
garibus,& caſibus qui frequenter accidunt,ſecus
de alijs,dicẽtes,quòd ſi aliter intelligeretur, omnes
de mundo eſſent in lata culpa:nam de imperatore
ſolummodo,vel ſummo põtifice præſumitur,quòd
habeat omnia iura in ſcrinio pectoris,vt dicitur in
l.omnium.C.de teſtamen.& in.c.1.de conſtitu.lib.
6.Ego de hac re aliter ſentio:ac primùm,text.in.l.
regula.ff.de iuris et fact.ignor.nõ probat quod glo.
vult,imo è diuerſo in prin.ait,quòd iuris ignorãtia*

cuique nocet, facti verò non nocet, & poſtmodum in verſiculo, ſed iuris, inquit, ſed iuris ignorantiã non prodeſſe, Labeo ita accipiendum exiſtimat, ſi iuriſconſulti copiam haberet, vel ſua prudẽtia inſtructus ſit: vt cui facilè ſit ſcire, ei detrimento ſit iuris ignorantia, quod rarò accipiendum eſt. *Quod idẽ diſponitur in.l.in bonorum.ff.de bonorũ poſſe.titul gene.vbi dicit text.* in bonorũ poſſeſsionibus iuris ignorantia nõ prodeſt, quominus dies cedat. Satis eſt enim ſcire mortuũ eſſe, ſeq; proximũ cognatũ fuiſſe, copiamq; eorũ quos conſuleret, habuiſſe. Scientiã enim non hanc accipi, quæ iuris prudentibus ſit, ſed eã, quã quis aut per ſe habeat, aut conſulendo prudentiores, aſſequi poteſt. *Vndè probari poſſe videtur, cùm non omnes teneãtur ſcire iura, iuris ignorantiã tunc excuſare, cùm non eſt copia conſulendi iuriſperitos. Nã ſi omnes ſcire iura tenerentur, quorſum darentur induciæ aliũ cõſulendi, cùm ſeipſum potius oporteret queq; conſulere? Vnde nõ credo rectè dixiſſe glo.in. d.l.in bonorũ, licet eam ibi ſequatur Bart. dũ ait, diſtinctionẽ, potuit, vel nõ potuit conſulere peritiores, ſolum procedere, cùm de lucro captãdo agitur. Deinde*

de quanuis verũ eſſet (quod ego non credo) omnes teneri ſcire iura, nõ inde benè infertur, ergo eorum ignorantia eſt lata culpa, cùm lata culpa ſit, ignorare quod omnes ſciũt. Aliud enim eſt ignorare quod omnes ſciunt & intelligunt, aliud verò eſt neſcire, quod omnes ſcire tenetur. Primum ſiquidẽ habet rem ſacti, & exiſtẽtiã, quæ cũ ſint apud omnes, vel maiorem partem, negligẽtiſſimi hominis eſt ea neſcire: & cùm nolentibus etiã nobis, nec curantibus in noſtrã notitiã veniant, aſſerẽti id ſe ignorare, nõ creditur: cùm potius malitioſa quædã ſimulatio et doloſa, affectataq; negligẽtia, quàm ſimplex ignorantia, præſumatur. Multò verò aliter in ſecundo, cùm ex iis quæ ſcire nos oporteret, maiorem partem ignoremus, earumq; rerum ignorantia, & tolleretur, & excuſabilis ſit. Cùm igitur inter ſe ſint diuerſa, non ex eis inferre licet, vt in. l. final. ff. de calumnia. & in. l. Papinianus. ff. de minorib. diſponitur. Quis enim ſanæ mentis dicet, omnes homines iura omnia, et leges ſcire, et noſſe debere, cùm id quàm paucis iuris profeſſoribus, nihil aliud agentibus, magnis laboribus, et lucrubationibus, lõgũ poſt tẽpus contingat? Nunquã iudicio meo mercatori, artificiue, culpa reputabitur iuris ignorãtia, nec id

legum-

legunlatores ſenſiſſe arbitrabor, cùm diſtincta officia ſint, & munera, in qualibet benè conſtituta republica, vt in. l. 2. ff. de nundin. ex Platone lib. 2. de repub. dicitur: & quam quiſq; nouit artem, pofitetur, & exercet, in ea errare, & labi culpam eſſe ait text. in. §. imperitũ inſt. de oblig. quæ ex delict. in his
23 *verò quæ noſtri muneris nõ ſunt, peritiores conſulere obligamur, vt latè per glo. in. l. iuris ignorãtia. C. qui admitti. Quod ſecũdum Alex. ibi, intelligendũ eſt, non ſolùm ſi periti erant in eodem loco, ſed etiã in oppido vicino, quia ſecundũ Bald. ruſtici, quemadmodũ, vt ipſe ait, vadunt ad nemus pro lignis, ita etiam debent ire pro conſilijs, attenta loci vicinitate, arg. l. 4. §. ſi tam vicinum. ff. de dam. infe. & l. diuus. ff. de tutorib. & cura. dat. ab his, & quæ tradit Anton. in. c. 2. de conſtitu. Secus verò ſi is qui conſulere debuiſſet peritiores, longè à ciuitate diſtaret, vel bellum prohiberet acceſſum: tunc enim excuſaretur, quãuis non conſuleret, vt eſt ſententia Roma. in. l. ſi duo. ff. de acquirend. hæred. & faciunt notata per Ioannem Andream in capit. ſtatutum de reſcript. lib. 6. & per Abba. in. c. propoſuiſti, de probationibus. Quod intellige, niſi fides publica, ſeu ſaluus conductus haberi*

haberi poſſit,nam tunc bellum non excuſaret, vt
diſpoſitum eſt in Rotæ deciſionibus,titu.de dol.&
contumac.& tradit Aret.conſ.16. Illud quoq; no 24
tandum,quod Bart.in d.l.in bonorum ſcribit,dicẽs
quòd qui conſuluit peritiorem,debet ei credere,&
ſi errauit,habet iuſtã erroris excuſationem:quod
intelligendum eſt primò,in perſonis quæ non tenen
tur,vt ipſe Bart.ait,ſcire de per ſe. Nam ſi vnus
aſſeſſor petit conſiliũ ab alio,credendo cõſilio eius,
non habet legitimam cauſam ignorantiæ,quia per
ſe debet ſcire,& ideo imperitia ſibi imputatur, vt
in c.imperitia de reg.iuris lib.6.& faciunt notata
per Bart.in l.ſi conuenerit & ibi Ang.ff. de re iu-
dica.vbi plura per Alex. Secundò hanc Bart. do-
ctrinam, tunc demum procedere dicunt doctores,
quando cõſulti fuerint ſaltem duo, quia iura quæ
de hac re diſponunt, loquuntur in plurali, vt in c.
ſtatutũ de reſcrip.in 6.et notat Raphael.in l.ſi duo
ff.de adqui. hæred. dicens teneri conſulere plures,
& prudentiores,arg.l.vtique.§.culpa.& ibi Ang.
ff.de rei vẽd. Quæ tamẽ ratio nõ eſt ſemper vera,
prædicta enim.l.regula.§.ſed iuris,loquitur in ſin-
gulari. Quapropter Roma.in l.iuris ignorantia,
dicebat,quòd aut plures erant in loco,& tunc pro

cedit

cedit prima opinio, aut vnus tantùm, & tūc ſecus, arg. text. in auth. de non alien. §. quod autem, & quod notat Bart. in proœmio. ff. in fine principij, & in. l. 1. de ventre inſpi. & in. l 1. §. fin. ff. de verb. obliga. Tertiò declaratur prædicta doctrina, ſi doctor non imperitus, ſed doctus conſulatur, argumento. l. quod ſi nolit. §. ſi mancipium, cū glo. verb. medicum. ff. de ædil. ædi. Dicit tamē Ang. in. l. plagij. C. ad leg. Faui. de plag. quòd ille qui conſuluit doctorem minus peritum, & damnoſum cōſilium ſequutus eſt, excuſatur à dolo, non autem à temeritate, & culpa. Ad quorum comprobationem facit, quod Petrus de Ancharran. docuit, in clemen. ne Romani, in princi. de elect. & conſi. 124. quòd habens pro ſe opinionem doctoris, excuſatur ab expenſis, quaſi habeat iuſtam cauſam litigandi, & Bal. in. l. iuris. C. qui admi. aſſerit, quòd notarius, ſi de conſilio ſapientis, quæ minus decent, adſcribat in teſtamento, nō tenetur de facto, quia excuſatur credēdo ſapienti. Anto. verò, in. c. finē, de dolo, & contumac. col. 10. limitat illam Ancharrani ſentētiam, ſi opinio doctoris eſſet contra communem doctrinam ſcribentium: de quo plura per Alex. in. l. fin. de re iud. & Imol. in. l. qui antè col. 2. de verb.

de verbo.obliga. Ex quibus omnibus ſatis apertè videtur probari concluſio, ignorantiam iuris peccati veniam impetrare, neque teneri omnes ſcire iura: licet hac in re multipliciter ab Azone diſtinguatur, in ſumma de iuris & facti igno. dum ait, multò aliter in imprudentia iuris naturalis eſſe diſpoſitum, quàm ſit in ignorantia iuris ciuilis: prima nanque neminem excuſat; ſecunda autem ſi agitur de damno euitando, nòn nòcet, ſi verò de lucro captando, diſtinguitur, potuerit ne peritiores conſulere, & tunc nòcet, vel non potuerit, quo caſu non obeſt. Præſumetur verò igno- 25
rantia iuris in dubio, nec ne? In facto proprio non præſumi verior ſententia eſt, argumento. l. final. ff. pro ſuo, et. c. ab excommunicato de reſcrip. Fallit tamen hæc regula, dum agitur de damno euitando; vt in. l. ſi poſt. ff. de iu. & fact. ig. Similiterque vbi eſt factum multum antiquum, nam ex longitudine temporis præſumitur obliuio, vt in. l. peregrè. ff. de acqui. poſſeſ. Nec nõ vbi factum eſſet flexiloquũ, & obſcurũ, vt in. l. emptor. §. Lutius. ff. de pact. vel ſi fuiſſet explicatũ per procuratorẽ, vt docet glo. in. l. ſi res de leg. 2. Poſtremò ſi quis eſſet multis negotijs implicitus, quia tũc

etiam

quod ex eo artificio quæſtus feciſſent, cõmune eorũ eſſet. *Eſt igitur huius legis mẽs & ſentẽtia, ad beſtias damnatos populo intercedẽte non dimittẽdos, ſed ſi eius roboris vel artificij ſunt, damnati inquam, vt dignè poſſint, ſcilicet robur & artificium eorũ Romanis exhiberi, princeps eſt conſulendus: non vt ad tam longum ſupplicium trahãtur, ſed potiùs vt inſigni robore atq; artificio, Populo Romano inſeruiãt. Simile eſt quòd Vlpianus ait in. l. ſed & reprobari. § amplius & illud, verſic. valde tamen, quod & ibi notat Bald. ff. de excuſſa. tut. eum qui in propria patria docet, aut medicatur, ſi ex numero ſit, à tutela excuſari & ſic à cæteris muneribus. Quem text. ad hanc ſententiã commendat Fortunius in. l. 1. col. 17. num. 49. ff. de iuſ. & iur. Vulgaris eſt Paridis Putei de ſyndicatu.*
17 *§ an ſi iudex, ſententia, vltimo ſupplicio damnatũ meretrici petenti eum in virum, concedi oportere, ni de iure, ſaltẽ de cõſuetudine, ſecũdum Iacob de vellouiſo in pract. crimi. tit. de lenonibus, et Gulielmi Benedict. in repetitione. c. Raynutius in parte, qui cum alia matrimonium contrahens, nume. 49. & in part. mortuo teſtatore, in primo, nu. 269. Chaſſanæus, in cõſuetudi. Burgund. rub. 1 §. 5. &*

Didac.

Didac. à Couarruuias in epit. lib. 4. decretalium 2. parte principali. c. 3. §. 4. num. 17. Suffragantur etiã quæ tradit Imol. in. c. quæris de ætate & qual. vbi cùm deberent ab eccleſia deijci nõnulli clerici, propter crimen occultum, vel manifeſtũ ſecundũ Antoniũ: ſi tamen aliàs fuerint valde vtiles eccleſiæ, vt quia diuites, potentes, vel artificioſi ſecun- Abbatẽ, Hoſtiẽſem, & Ioan. Andr. diſpenſatur cum eis, vt beneficium obtinere poßint: quod notãt ibi Hoſtienſis Abb. Ioan. Andr. Ant. & cõmuniter. dd. & ne morer, lege Regia, tit. 32. de los perdones. p. 7. apertè præd. ſententia comprobata eſt, vt ibi Gregor. Lopez animaduertit. Oportet tamẽ quod ſit valde doctus & peritus, vt in. d. l. ſed & reprobari, dicitur: vel quod eius generis artifice egeat ciuitas, vt notatur in. d. c. quæris. Neq; licet ſæpe peccati veniam concedere: peccati enim incẽtiuum eſſet indulgentiæ facilitas. Quãdo autem dicatur adeſſe reipub. vtilitas, eſt glo. vt dici ſolet, magiſtra, in ſumma, in parte quæritur. 74. diſtin. An verò damnatus talis ſit, cuius robur & artificium poßint dignè populo Romano exhiberi, videtur hoc relinqui arbitrio iudicis conſulto principe. Nam cũ in hac lege de damnatis iam loqua-

tur iuriſconſultus, ſententiam diffinitiuã ſolum
principem reuocare poſſe, probatur in.l.1.§.ſi quis
vltrò.ff.de quæſtio. Si igitur ſumma huius partis
cõcluſio, in relaxandis, differẽdisue, ſeu augẽdis à
iudice, vel etiam à principe pœnis, cõparari neceſſe
eſſe inter ſe, perſonam rei, qualitatem negotij, atq;
abſolutionis, vel condemnationis cauſam, vt ſecũ
dùm rei geſtæ adiũcta, vel leui iure, vel dura ſeue-
18 ritate vtãtur. Sequitur relatio criminis, cum reus
id quod arguitur, confeſſus, alterius ſe inductum
peccato, iure feciſſe demonſtrat: ſunt huius ſta-
tus multa in legibus diuinis, humaniſq; exempla.
Ex quibus ſicut in comparatione fecimus, pauca
proferemus, vt appareat quanta ſit relationis
vis, non ſolum ad leniendam pœnam, ſed omnino
abolendam culpam. Petrus dum Ananiam cum
Sapphira vxore ſua mentientes morti increpando
tradidit. Vt.c.5.actuũ legitur, & .23.q.8. cap. Pe-
trus, nonne crimen in mortuos tranſtulit? Ecce
inquit, ſcriptura. Nu.c.25. Vnus de filijs Iſraël
intrauit ad ſcortũ Madianitidẽ, vidente Moy
ſe, & omni turba filiorum Iſrael, qui flebant
ante fores tabernaculi: quod cũ vidiſſet Phi-
nees filius Eleazari, filij Aarõ ſacerdotis, ſur-
rexit

rexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, ingreſſus eſt poſt virum Iſraelitem in lupanar, & perfodit ambos ſimul, virum ſcilicet, & mulierẽ in locis genitalibus. *Credimus ne peccaſſe Phineem? an tranſlatione criminis in peccatum Zambri, ita enim dicebatur qui occiſus eſt, liberari?* dixitq́; , *inquit*, dominus ad Moyſem, Phinees filius Eleazari, filij Aaron ſacerdotis, auertit iram meam à filijs Iſrael, quia zelo meo commotus eſt contra eos: idcirco loquere ad eum, ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipſi, quã ſemini eius pactum ſacerdotij ſempiternum, quia zelatus eſt pro Deo ſuo, & expiauit ſcelus filiorũ Iſrael. *Nõ ſunt igitur homicidæ cenſendi, qui non propriã quærentes vindictam, ſed eccleſiæ diuino Zelo armantur, vt in. c. excommunicatorũ. 23. q. 5. dicitur, & Hieronymus ad Riparium, vt in. c. legi. 23. q. 8. refertur.* legi, *ait*, Syromaſten Phinees, authoritatẽ Heliæ, zelum Simonis Chananæi, Petri ſeueritatẽ, Ananiã & Sapphirã trucidãtis, Pauliq́; cõſtãtiam, qui Elymã magũ vijs dñi reſiſtẽtẽ, æterna cęcitate damnauit. Non eſt igitur crudelitas, crimina pro deo punire, ſed pietas.

Ex quibus omnibus rectè illud ſequitur, quod eodem propoſito docet Diuus Chryſoſtomus ſuper Math. vt refertur in. c. occidit. 23 q. 8. non ſolùm reſpicienda opera, ſed tempus, cauſam, voluntatem, perſonarum quoq; differentiam & quantacunq; alia ipſis operibus acciderint, diligentiſſimè inquirenda, vt ſtatuta pœna pro qualitate rerum
19 *creſcat vel minuatur. Remotio criminis eſt, cùm eius intentio facti, quod ab aduerſario infertur, in aliũ, aut in aliud dimouetur: id fit bipartitò, nam tum cauſa, tum res ipſa remouetur. Cauſæ remotionis paſſim ſeſe offerunt in iure exempla. Neq; eſt neceſſe vno aut altero oſtendere, quantum remotio cauſæ, nõ in criminalibus tãtùm, ſed et in cõtractibus poſſit, cùm ab hoc fonte bona pars legũ effluxerit. De eo per quem factum erit, de Pactis, de condictionibus ob cauſam, de obligationibus et actionibus. Remotio criminis in rem fit: cum id, quod datur crimini, negat, neque ad ſe, neque ad officium ſuum, reus pertinuiſſe, nec ſi quod in eo ſit delictum, ſibi attribui cõuenire. Differt autem hoc genus à ſuperiore, quòd in illo oportuiſſe illud fieri, de quo accuſatur, liquidò fatetur reus, ſed alicui rei, aut homini cauſam tribuit, quæ parata*

volun-

voluntati ſuæ fuerint impedimento. In hoc autem nihil neceſſe eſt,in quenquam culpam tranſferre, ſed oſtẽdere rem illam nihil ad ſe pertinuiſſe. Huc pertinẽt multa,quæ iure ciuili rectè cõſtituta ſunt: quale eſt legum miniſtros non debere legem examinare,rectè ne,an perperã à rege ſit lata,ſed illã, quando ita ſuperiori placet, exequi. Similiterq́; lictores, quanuis iniqua ſententia damnatos,& virgis,& ſecuri cædant, nullam iniuriam facere,neque pœnam mereri:iudicis munus eſſe,non eorũ,videre meritò ne ſumatur vindicta. De timore præterea potentiæ,qui à principibus,à magiſtratibus,ab omnibus denique ſuperioribus, incutitur ſubditis,deq́; metu,vt appellant,reuerentiali, qui libertis à patrono,filijs à parentibus,vxoribus à maritis proponitur,multa multis in locis ſunt à doctoribus tradita, quæ ad remotionẽ criminis omnia 20
pertinent. Conceſſio eſt per quam non factũ ipſum, inficiatur reus,ſed vt ignoſcatur ei petit:hæc diuiditur in purgationem & deprecationẽ. Purgatio eſt per quam eius qui accuſatur,non factũ ipſum, ſed volũtas defenditur: cuius partes ſunt imprudẽtia,caſus,neceſſitudo. Imprudẽtia eſt,cùm ſciſſe aliquid,qui arguitur negatur,vt cùm Abimælech

rex Gerara, mulierem nuptam ab viro abſtuliſſe, accuſatus, purgatione depellit intentionē, inquiēs, ipſe dixit mihi, ſoror mea eſt, & ipſa ait frater meꝰ eſt. In ſimplicitate cordis mei, & mūditia manuū mearum feci hoc. *Caſus eſt cū rem aliquam inopinatam demonſtramus voluntati obſtitiſſe. Vt ſi Tobias iunior parentibus moram increpantibus ſe excuſſet, recenſeatq́, quæ ſibi in itinere euenerint, qualiter ab immani piſce ſit liberatus, dæmoniumq́ Aſmodæum compeſcuerit, qui ſeptē viros Saræ filiæ Raguelis occiderat: denique nuptias, preceſq́ ſoceri voluntati obſtitiſſe, quominus ante venerit, diceret. Neceßitudo autem infertur cùm vi quadā reus, id quod fecerit, feciſſe ſe ait: vt ſi accuſati Mathathias, Iudaſque Machabæus, quod ſabbatum violent, aſſerant ſe neceßitate coactos bellum iniiſſe. Similiterq́ David neceßitate dicat panes propoſitionis ſibi, ac pueris ſuis ab Achimelech ſumpſiſſe, quos non licebat ei edere, neque iis qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus: quod enim non eſt licitum in lege, neceßitas facit licitum, vt in.c. quod non de regul. iur. & in.c. ſi nulla 23. quæſt. 8. Horum autem trium, ſcilicet imprudentiæ, neceßitatis & caſus, perſimilis tractatio*

tio eſt. Quare de imprudentia ſolum, & qui igno- 21
rantia excuſentur videamus: ob quam indulgeri cernimus ebrietati in. l. omne delictum. §. per vinum. ff. de re militari, & in. c. ſanè. & in. c. inebriauerũt. 15. quæſt. 2. inſaniæ, ac leuitati. in. l. 1. C. ſi quis imp. maledix. furori, in. l. congruit, & in. l. diuus Marcus. ff. de offic. Præſ. ſimplicitati, in. c. ſcriptura de conſecra. diſt. 2. ruſticitati, in. l. ſi quis id quod. ff. de iu. om. iud. & in. l. 2. ff. de in ius. voc. iuuentuti, in. l. auxilium. §. 2. ff. de qq. c. 1. de delict. puer. c. vltimo de ſenten. excommunica. c. 2. de apoſt. Vnde à comico dicitur, iniuriam adoleſcentium accipiendam, & muſitandam eſſe, & Seneca de ira, à puero, vel à fœmina inferri poſſe negat iniuriam. Quarum diſpoſitionum ea potiſſimum eſt ratio, quòd prædicti impulſione, non ratiocinatione peccaſſe cẽſeantur. Eſt aũt impulſio, quæ ſine cogitatione, per quãdã affectionẽ animi, facere aliquid hortatur: vt amor, iracundia, ægritudo, vinolẽtia, et omnia ea, in quibus animus ita videtur affectus, vt rẽ perſpicere cũ cõſilio, et cura nõ poſſit. Ratiocinatio eſt diligẽs, & cõſiderata faciẽdi aliquid, aut nõ faciẽdi, excogitatio. Itaq; non improbo quod Marius Salomonius in. l. 1. in pri. ff. de iuſt. & iur.

ſibus Homericis Claudius oſtendit. l. aut facta. §. euentus. ff. de pœn. Diodorus lib. 5. narrat Peleum Eaci filium, qui diſci iactu Phocũ fratrem ſubſtulerat, mox ab Actore rege purgatum fuiſſe. Quæ omnia ad imprudentiam facti pertinere vi- 22
dentur: quid autem de ignorantia iuris cẽſendum ſit, videamus. Glo. in. §. ſuſpectus, inſt. de ſuſpe. tu. ait, omnes debent ſcire iura, exceptis paucis: mulieribus, & minoribus, & militibus, vt in. l. regula. ff. de iuris. et facti. ignoran. & in. l. leges. C. de legibus, & in. l. conſtitutus. C. de iur. & facti. ignoran. ergo ſi quis, inquit, ignorat, eſt in culpa lata: cùm lata culpa ſit, ignorare quod omnes ſciunt, vt in. l. lata culpæ. ff. de verb. ſigni. Quod Ioan. Fab. atq; Ang. in. d. §. ſuſpectus, cẽſent intelligendũ de iuribus vulgaribus, & caſibus qui frequenter accidunt, ſecus de alijs, dicẽtes, quòd ſi aliter intelligeretur, omnes de mundo eſſent in lata culpa: nam de imperatore ſolummodo, vel ſummo põtifice præſumitur, quòd habeat omnia iura in ſcrinio pectoris, vt dicitur in l. omnium. C. de teſtamen. & in. c. 1. de conſtitu. lib. 6. Ego de hac re aliter ſentio: ac primùm, text. in. l. regula. ff. de iuris et fact. ignor. nõ probat quod glo. vult, imo è diuerſo in prin. ait, quòd iuris ignorãtia

cuique nocet, facti verò non nocet, & poſtmodum in verſiculo, ſed iuris, inquit, ſed iuris ignorantiā non prodeſſe, Labeo ita accipiendum exiſtimat, ſi iuriſconſulti copiam haberet, vel ſua prudētia inſtructus ſit: vt cui facilè ſit ſcire, ei detrimento ſit iuris ignorantia, quod rarò accipiendum eſt. *Quod idē diſponitur in.l.in bonorum.ff.de bonorū poſſe.titul.gene.vbi dicit text.* in bonorū poſſeſsionibus iuris ignorantia nō prodeſt, quominus dies cedat. Satis eſt enim ſcire mortuū eſſe, ſeq; proximū cognatū fuiſſe, copiamq; eorū quos conſuleret, habuiſſe. Scientiā enim non hanc accipi, quæ iuris prudentibus ſit, ſed eā, quā quis aut per ſe habeat, aut conſulendo prudentiores, aſſequi poteſt. *Vndè probari poſſe videtur, cùm non omnes teneātur ſcire iura, iuris ignorantiā tunc excuſare, cùm non eſt copia conſulendi iuriſperitos. Nā ſi omnes ſcire iura tenerentur, quorſum darentur induciæ aliū cōſulendi, cùm ſeipſum potius oporteret quēq; conſulere? Unde nō credo rectè dixiſſe glo.in.d.l.in bonorū, licet eam ibi ſequatur Bart. dū ait, diſtinctionē, potuit, vel nō potuit conſulere peritiores, ſolum procedere, cùm de lucro captādo agitur. Dein*

de

de quanuis verũ eſſet (quod ego non credo) omnes teneri ſcire iura, nõ inde benè infertur, ergo eorum ignorantia eſt lata culpa, cùm lata culpa ſit, ignorare quod omnes ſciũt. Aliud enim eſt ignorare quod omnes ſciunt & intelligunt, aliud verò eſt neſcire, quod omnes ſcire tenetur. Primum ſiquidẽ habet rem facti, & exiſtẽtiã, quæ cũ ſint apud omnes, vel maiorem partem, negligẽtiſſimi hominis eſt ea neſcire: & cùm nolentibus etiã nobis, nec curantibus in noſtrã notitiã veniant, aſſerẽti id ſe ignorare, nõ creditur: cùm potius malitioſa quædã ſimulatio et doloſa, affectataq́; negligẽtia, quàm ſimplex ignorantia, præſumatur. Multò verò aliter in ſecundo, cùm ex iis quæ ſcire nos oporteret, maiorem partem ignoremus, earumq́; rerum ignorantia, & tolleretur, & excuſabilis ſit. Cùm igitur inter ſe ſint diuerſa, non ex eis inferre licet, vt in l. final. ff. de calumnia. & in l. Papinianus. ff. de minorib. diſponitur. Quis enim ſanæ mentis dicet, omnes homines iura omnia, et leges ſcire, et noſſe debere, cùm id quàm paucis iuris profeſſoribus, nihil aliud agentibus, magnis laboribus, et lucrubationibus, lõgũ poſt tẽpus contingat? Nunquã iudicio meo mercatori, artificiue, culpa reputabitur iuris ignorãtia, nec id

legum-

legunlatores ſenſiſſe arbitrabor, cùm diſtincta officia ſint, & munera, in qualibet benè conſtitutare publica, vt in l. 2. ff. de nundin. ex Platone lib. 2. de repub. dicitur: & quam quiſq; nouit artem, poſitetur, & exercet, in ea errare, & labi culpam eſſe ait text. in. §. imperitũ inſt. de oblig. quæ ex delict. in his
23 *verò quæ noſtri muneris nõ ſunt, peritiores conſulere obligamur, vt latè per glo. in l. iuris ignorãtia. C. qui admitti. Quod ſecũdum Alex. ibi, intelligendũ eſt, non ſolùm ſi periti erant in eodem loco, ſed etiã in oppido vicino, quia ſecundũ Bald. ruſtici, quem admodũ, vt ipſe ait, vadunt ad nemus pro lignis, ita etiam debent ire pro conſilijs, attenta loci vicinitate, arg. l. 4. §. ſi tam vicinum. ff. de dam. infe. & l. diuus. ff. de tutorib. & cura. dat. ab his, & quæ tradit Anton. in. c. 2. de conſtitu. Secus verò ſi is qui conſulere debuiſſet peritiores, longè à ciuitate diſtaret, vel bellum prohiberet acceſſum: tunc enim excuſaretur, quanuis non conſuleret, vt eſt ſententia Roma. in. l. ſi duo. ff. de acquirend. hæred. & faciunt notata per Ioannem Andream in capit. ſtatutum de reſcript. lib. 6. & per Abba. in. c. propoſuiſti, de probationibus. Quod intellige, niſi fides publica, ſeu ſaluus conductus haberi*

haberi poſſit,nam tunc bellum non excuſaret, vt diſpoſitum eſt in Rotæ deciſionibus,titu.de dol.& contumac.& tradit Aret.conſ.16. Illud quoq; no 24
tandum,quod Bart.in.d.l.in bonorum ſcribit,dicẽs quòd qui conſuluit peritiorem,debet ei credere,& ſi errauit,habet iuſtã erroris excuſationem:quod intelligendum eſt primò,in perſonis quæ non tenentur,vt ipſe Bart.ait,ſcire de per ſe. Nam ſi vnus aſſeſſor petit conſiliũ ab alio,credendo cõſilio eius, non habet legitimam cauſam ignorantiæ,quia per ſe debet ſcire,& ideo imperitia ſibi imputatur, vt in.c.imperitia de reg.iuris lib.6.& faciunt notata per Bart.in.l.ſi conuenerit & ibi Ang.ff. de re iudica.vbi plura per Alex.Secundò hanc Bart. doctrinam, tunc demum procedere dicunt doctores, quando cõſulti fuerint ſaltem duo, quia iura quæ de hac re diſponunt, loquuntur in plurali, vt in. c. ſtatutũ de reſcrip.in.6.et notat Raphael.in.l.ſi duo ff.de adqui. hæred. dicens teneri conſulere plures, & prudentiores,arg.l.vtique.§.culpa.& ibi Ang. ff.de rei vẽd. Quæ tamẽ ratio nõ eſt ſemper vera, prædicta enim.l.regula.§.ſed iuris,loquitur in ſingulari. Quapropter Roma.in.l.iuris ignorantia, dicebat,quòd aut plures erant in loco,& tunc pro

cedit

cedit prima opinio, aut vnus tantùm, & tũc ſecus, arg. text. in auth. de non alien. §. quod autem, & quod notat Bart. in prooemio. ff. in fine principij, & in. l. 1. de ventre inſpi. & in. l. 1. §. fin. ff. de verb. obliga. Tertiò declaratur prædicta doctrina, ſi doctor non imperitus, ſed doctus conſulatur, argumento. l. quod ſi nolit. §. ſi mancipium, cũ glo. verb. medicum. ff. de ædil. ædi. Dicit tamẽ Ang. in. l. plagij. C. ad leg. Faui. de plag. quòd ille qui conſuluit doctorem minus peritum, & damnoſum cõſilium ſequutus eſt, excuſatur à dolo, non autem à temeritate, & culpa. Ad quorum comprobationem facit, quod Petrus de Ancharran. docuit, in clemen. ne Romani, in princi. de elect. & conſi. 124. quòd habens pro ſe opinionem doctoris, excuſatur ab expenſis, quaſi habeat iuſtam cauſam litigandi, & Bal. in. l. iuris. C. qui admi. aſſerit, quòd notarius, ſi de conſilio ſapientis, quæ minus decent, adſcribat in teſtamento, nõ tenetur de facto, quia excuſatur credẽdo ſapienti. Anto. verò, in. c. finẽ, de dolo, & contumac. col. 10. limitat illam Ancharrani ſentẽtiam, ſi opinio doctoris eſſet contra communem doctrinam ſcribentium: de quo plura per Alex. in. l. fin. de re iud. & Imol. in. l. qui antè col. 2. de verb.

de verbo.obliga. Ex quibus omnibus ſatis apertè videtur probari concluſio, ignorantiam iuris peccati veniam impetrare, neque teneri omnes ſcire iura: licet hac in re multipliciter ab Azone diſtinguatur, in ſumma de iuris & facti igno. dum ait, multò aliter in imprudentia iuris naturalis eſſe diſpoſitum, quàm ſit in ignorantia iuris ciuilis: prima nanque neminem excuſat, ſecunda autem ſi agitur de damno euitando, non nocet, ſi verò de lucro captando, diſtinguitur, potuerit ne peritiores conſulere, & tunc nocet, vel non potuerit, quo caſu non obeſt. Præſumetur vero igno- 25
rantia iuris in dubio, nec ne? In facto proprio non præſumi verior ſententia eſt, argumento. l. final. ff. pro ſuo, et. c. ab excommunicato de reſcrip. Fallit tamen hæc regula, dum agitur de damno euitando, vt in. l. ſi poſt. ff. de iu. & fact. ig. Similiterque vbi eſt factum multum antiquum, nam ex longitudine temporis præſumitur obliuio, vt in. l. peregrè. ff. de acqui. poſſeſ. Nec nõ vbi factum eſſet flexiloquũ, & obſcurũ, vt in. l. emptor. §. Lutius. ff. de pact. vel ſi fuiſſet explicatũ per procuratorẽ, vt docet glo. in. l. ſi res de leg. 2. Poſtremò ſi quis eſſet multis negotijs implicitus, quia tũc

etiam in facto proprio ignorantiam præſumi, tradit Bart.in.l.2.§.quod obſeruari.ff. de iuram. calum. Circa factum deinde alienum ignorantia regulariter præſumitur. l. verius.ff. de probat. niſi eſſet tale factum, vt quis illud ſcire teneretur, vt in.l.quod te.ff. ſi cer.peta. Tunc enim præſumitur ſimulata ignorantia, non vera, vt in.l.1.§.1.ſi quis ommiſ.cauſ.teſtam. vel vbi quid eſſet publicè geſtum, vt tradit glo.in.c.1.de poſtu.prælatorum, tūc enim niſi abſens, infirmúsue, nemo excuſatur, vt in l.is poteſt.ff.de adq.hære. aut peregrinus, vt in.l. 1. de decre. ab ord.fac. vel niſi quid factū eſſet à magnate, aut à nobili, quod à nemine ignorari voluit, Abb.in.c tuam de ordine cog.& in.c.illorū de ſen.
26 *exco. Quod ad mulieres attinet.l.fin.C.de iuris & fact.ignor.ait, quòd mulieribus nō ſubuenitur, propter iuris ignorantiā, etiā in damnis, magis quàm maribus, niſi in caſibus expreſſis à iure. Quā eandem regulam firmat glo.in.c.fin.in prin. 1.q.4. quæ glo.idem eſſe dicit in ruſticis, quam ſequitur Ant. de Butr.in.c.1 col. 4. de conſtitutionib.& Alex. in.l.ſi quis id quod col.4.ff. de iuriſd. omniū iudic. licet contrarium videatur probari in.l.fin. C.de teſtam. vbi dicitur ſemper ruſticitati conſultum, de*

qua

quare Alber.ibi.1.notab. Et quòd ruſtico ſiue potuerit conſulere peritiores, ſiue non, ſemper ſuccurratur, videtur probare glo.iuncto text.in.l.qui cunq; C. qui admitti, quam ſequuntur Fulg. & Roma.in.l.iuris ignorantia eodem tit. Cõtrarium tamen tenet Bald.Salic.& Caſtren.per illam legem, vbi mulieri non ſubuenitur, propter ignorantiam iuris, ſi potuerit conſulere peritiores: ergo idẽ debet eſſe, dicunt, in ruſtico: quãdoquidem in iuris ignorantia, mulier ac ruſticus æquiparantur, vt in.l.2.in fin.ff.de iu.fiſc.& in.l.1.ff.de eden.de quo per Anto.& Imol.in.c.2.de cõſti.& Cin.in.l.fin.C. de teſtamen.quæ tamen omnia locum in his nõ habent, quæ concernunt formam actus, vel iudiciorũ ſeueritatem. Vnde ſi per errorẽ iuris ruſticus, ſeu quiuis alius fecit teſtamentum, non ſeruata debita ſolennitate, teſtamentum erit nullum, vt probatur in.l.fin.C.de teſtam.et docet glo.in.l. ambiguitatem.C.eo.tit. Et à Bald.in.l.iuris ignorantia.C. qui admit.& Salic.in.l.1 eod.tit.traditum eſt, ruſtico non producenti inſtrumentum, vel teſtes intra terminum ſibi præfixum, non ſuccurri, quãuis errore aduocati id factum ſit. Et idem Bald in. l. fin.in prin.3.quæſt.C.de iure delib. affirmat, quòd

 ſi mulier

ſi mulier, vel ruſticus intra ſtatutum tempus inuentarium non confecerint, vel ſi minus ſolenniter confecerint, quanuis non potuerint cõſulere peritiores, iuris ignorantia non excuſantur. Quam eandem ſententiam tenet Bart. in conſ. maritus fecit hæredem vxorem, & facit glo. in. l. iuris. 2. ff. de iuris, & fact. ignoran. & quod notat Bart. in. l. 1. circa medium. C. eod. tit. & ibi Salic. Quod tñ ijdem ipſi declarãt dicentes, etiam in tendentibus ad rigorem iuris conſeruãdum, ruſtico iuſtam habenti cauſam ignorantiæ, ſuccurri poſſe per reſtitutionem in integrum, ex clauſula generali, ſi qua mihi iuſta cauſa, *de qua in. l. 1. & in. l. ſi per prætorem. §. hac autem. ff. ex quib. cauſ. maio. & multa per Paul. de Caſt. in. l. Clodius in fin. ff. de acquir. hæred.*

27 *Deprecatio eſt, in qua non defenſio facti, ſed ignoſcendi poſtulatio continetur. Quod genus quanquam in iudicijs non verſatur, niſi quadam ex parte, tamen quia pars ipſa ſæpe inducenda eſt, & apud principes, & res publicas ipſum genus tractandum, cenſui non eſſe prætermittẽdum. Oportebit igitur eum, qui ſibi vt ignoſcatur, poſtulabit, commemorare ſi qua ſua poterit, vel maiorũ ſuorum in rempub. beneficia: hac enim ratione reo*

indulgeri

indulgeri poſſe probatur, in l. honor. ff. de pœn. Deinde oſtendet, non odio, neq; crudelitate feciſſe, quod fecerit, ſed inconſultè, aut impulſu iræ, ac dolore repẽtino, quibus pœna minuitur. l. abſentē. §. vlt. ff. de pœnis, & in. c. ſi quis iratus. 2. q. 3. Sæpe enim iran ocẽtes ad crimẽ adducit. *vt in. c. ira. 11. q. 3. etiam principes virtute ſingulari præditos, vt in. c. cū apud, ead. cauſ. & q. Quæ tamen intelligenda ſunt, vt à Plat. lib. 9. de legib. dicitur, cū diſtinctione: ira nanq; meritò ab illo inter voluntarias & inuoluntarias actiones ponitur. Nā ille quidē qui irā ſeruat, nec repentè, ſed cum inſidijs ſe poſtea vindicat, homicidæ voluntarij eſt perſimilis: is verò qui non ſeruat, ſed primo iræ impetu fertur, & abſq; præmeditatione interficit, inuoluntarij homicidæ ſimilis iudicatur. Maiora igitur ſupplicia illis ſunt imponenda, qui conſultò per irā interfecerunt, illis cōtrà, qui repētè, & incōſultò, leuiora: potiorq; his, quàm illis erit in deprecatione locus. Poſtea pollicebitur, et cōfirmabit, ſe hoc peccato doctū, & beneficio eorū, qui ſibi ignouerint, cōfirmatum, omni tēpore à tali ratione abfuturū. Qua rōe poſſe pœnā minui, traditur in. c. licet. 45. diſt. in. et in. c. libēter de pœniten. diſt. 1. & facit tex in. l. 3. C. de epiſ. aud.*

vbi dicitur, crimina niſi ſemel commiſſa, veniam non mereri. Vnde quamuis cõſuetudine probatum
28 *ſit dictum Baldi, in auth, ſed nouo iure. C. de ſer. fugitiu. dum ait, quòd ſi ſtatuto, aut lege caueatur, quòd pro tribus furtis quis ſuſpendatur furca, ſi faciat vnum æquiualens tribus, debet ille ſuſpendi, crederem tamen ratione vnitatis poſſe illi indulgeri: precipuè ſi qua eſſet reſiſpicẽdi ſpes. Maximè cùm aduerſus illam Baldi ſententiam contrarium affirment Salic. in. d. auth. ſed nouo iure Montaluus in. l. 6. tit de pæn. lib, 4. for. Iaſ. in. §. ex maleficijs, col. 2. inſt. de act. Anan. in. c. fin. de fur. & Abb. in. c porrecta, de confirma. util. vel. inutili. Deinde ſpem oſtendet, aliquando ſe magno reipub. ſi ſibi conceſſerit, vſui futurum: vt enim ſuprà diximus, ratione publicæ vtilitatis venia reo legitimè cõceditur. Qui duo loci ſi ex anteacta vita, ex cauſa, ex perſona, ex facto ipſo, alijſq; locis coniecturæ probari poßint, maximè ad deprecandũ conducunt: amplificariq; poſſunt elegantißimè ex tex. in. c. circũcelliones. 23. q. 5. Vbi Auguſti. ad Marcellia. comitem, de donatiſtis captis ſcribens,* imple chriſtianæ iudex, *ait*, pij patris officiũ, ſic ſuccenſere iniquitati memineris, vt non in

pecca-

peccatorum atrocitatibus exerceas vlciſcēdi libidinem:ſed peccatorum vulneribus curandi adhibeas voluntatem *& poſtmodum ait.* Ad hoc mitiſsimi homines facinus admiſſum diligenter,atque inſtanter examinare debent, vt quibus parcant,inueniant. *et in.c.vnum ſolum,ead.cauſ.& .q.idem Auguſti. Donato ſcribit.* Ex occaſione terribiliū iudicum,& legū, ne æterni ſupplicij pænas luant,corrigi eos cupimus,nō necari:nec diſciplinam circa eos negligi volumus,nec ſupplicijs,quibus digni ſunt coerceri.Sic ergo eorū peccata cōpeſce, vt ſint quos pæniteat peccaſſe. *Et Cicero pro Publio Sextio,cohortari,inquit,auſus eſt accuſator in hac cauſa vos iudices, vt aliquando eſſetis ſeueri, aliquādo medicinā adhibereris reipublicæ. Non eſt ea medicina cùm ſanæ parti corporis ſcalpellum adhibetur,atq; integræ:carnificina eſt iſta, & crudelitas:ij medentur reipub.qui exiccant peſtem aliquam, tanquā ſtrumam ciuitatis. Poſtea amplitudinem,& nobilitatem generis eorum,qui ſe ſaluum velint,& dignitatem oſtendet. Perſonam enim intercedentis,reo maximè conferre probatur in.c.prodeſt. 23.q. 5. maximè ſi ſint plures,*

qui illi⁹ ſalutẽ et incolumitatẽ deſideret: ut in.c.vlt. §.itẽ opponitur.22. q.2.et in c.fleat de pænit.diſt.1. Deinde et dignitatẽ, et cætera ea, quæ pſonis adho neſtatẽ, et ãplitudinẽ ſunt attributa, cũ cõquæſtio ne, ſine arrogãtia in ſe eſſe demõſtrabit. Iure.n.cau tũ eſt obſcurũ hominẽ ſeuerius puniri, quã nobilẽ, aut præclarũ, in.l.aut facta.§.præterea.ff.de pæn.et dignitatẽ attendi in minuẽdis pænis præceptũ eſt: c. qui cõtra, 24.q.1.et in.c.vltimo de pæn. Defert.n.prĩ ceps aliquãdo nobilibus ne verecundentur, vt in.l. obſeruandũ.ff.de iudic. Poſtremò locis cõmunibus miſericordiã captare proderit. Mouet enim maximè principes, ſi reos videant fidere potius eorum clementiæ, & benignitati, quã propriæ excuſationi, & dignitati: humilitas nanq; quam peccans flebiliter exhibet in ſupplicãdo, ſæpe veniam vel ab ſeuero principis animo extorquet, vt docetur in.c. importuna.de pæn.diſt.1. cuius rei extant elegantiſsima exempla apud Ciceronem pro M. Marcello, et pro Q. Ligario. Cæterũ deprecationis mentio eſt apud iuriſconſultos frequens, quanuis hoc verbũ rhetorum proprium ſit, nam in.l. quid ſit fugitiuus §.idem Viuianus:ff.de ædil.ædi.Vlp.ait: ſi à magiſtro puer receſsit, & rurſus ad matrẽ puenit,

cùm

cùm quæreretur num fugitiuus eſſet? ſi celandi cauſa quò, ne ad dñm reuerteretur, fugiſſet, fugitiuũ eſſe: ſin verò vt per matrẽ faciliorẽ deprecationẽ haberet delicti alicuius, non eſſe fugitiuum. *& in. l. tres tutores. ff. de adminis. tuto. Tryphonius ait,* in furibus eiuſdem rei pluribus, nõ eſt propterea cæteris pænæ deprecatio, quòd ab vno iam exacta eſt. *& in. l. auxiliũ ff. de minorib. idẽ Tryphonius,* vtiq; *inquit*, nulla deprecatio adulterij pænę eſt, ſi ſe minor annis adulterũ fateatur. *Atq; hæ tãdem ſunt cauſæ* 29
quibꝰ à lege criminibus ſtatutæ pænæ augeri, minuiue, aliquãdo etiã omnino tolli pñt. His verò nõ extantibus, ſeueros iudices eſſe oportet, et criminũ, ac peccatorũ prõptiſſimos vltores, ac vindices: eo tñ ordine, vt ſi fieri id poteſt, meliores ciues efficiant, non extinguant. Vt enim à Platone lib. 9. de legibus dicitur, legum optimarum officium eſt, ita animos hominum inſtituere, vt oderint iniuſtitiam, iuſti verò naturam vel diligant, vel ſaltem nõ oderint: ſiue operibus, ſiue verbis legiſlator id aſſequatur, ſiue voluptate, ſiue dolore, ſeu honore, vel infamia, aut pecunia mulctando, aut donis, aut alio quouis modo id faciat. Quibus verbis, quàm diuinè legũ

finem ille perſtrinxerit, quis non videt? Sunt igitur & officijs proponenda præmia, iniurijſq́; ſeu magnis, ſeu paruis ſtatuendæ pænæ: non quibus perdantur ciues, ſed quibus boni non ſolùm metu pænarũ verùm præmiorum quoq; exhortatione efficiãtur. Quo fit, vt queẽadmodũ ſuprà diximus, maxima ſit magiſtratibus adhibenda cura, vt nouis, ac denuò naſcentibus virtutibus, faueant, & blandiantur, ſi qua aũt vitiare naſci viderint, & pullulare, extinguant, ac perdant prorſus: omne nanq; malum naſcens facilè opprimitur, inueteratũ fit plerunq; robuſtius. Quos verò nullo conſilio ſanari, nulla medicina corrigi, nulla religione aſtringi poſſe viderint, hos vltimo ſupplicio afficient, nõ ignorantes ſatius fore his, qui inſanabiles ſunt, mori, quàm viuere, ac cùm priuãtur vita, dupliciter prodeſſe cæteris. Nã horum exemplo à peccato cæteri deterrẽtur, et improbis hominibus ciuitas ipſa purgatur, boniſq́;, vt ſuprà diximus, locus relinquitur vt è republica ſecũdùm virtutem viuere poſſint.

30 *Quapropter ego illius iudicis miſericordiam, benignitatem, & clementiam laudo, qui quantum viribus cõtendere poteſt, inuigilat, et procurat, ne quiſquam ciuis cõmittat, vt morte mulctandus ſit, non*

eius,

eius, qui etiam ſi commiſerit, conſeruandũ putat. Saluis enim improbis, ſceleratis, & impijs, deleri innocẽtes, honeſtos & bonos viros neceſſe eſt. Vnde vt optimè Philippica. 8. inquit Cicero, quẽmadmodum in corpore, ſi quid huiuſmodi eſt, quod reliquo corpori noceat, vri, ac ſecari patimur, vt mẽbrorũ aliquid potiùs, quàm totũ corpus intereat, ſic in rei pub. corpore, vt totum ſaluum ſit, quidquid eſt peſtiferum amputetur.

De legitima philoſophia LIBER SEXTVS.

VERAM niſi fallor philoſophiam, nõ ſimulatã affectantes. *Omnis hoc loco doctorum oratio in ea quæſtione conſumitur, valeat ne dictum teſtis, vel non, per verbum,* niſi fallor. *Tenet aũt cõmunis opinio, particulã affirmare hanc, eleganti ſpecie dubitationis, ideoq; teſtis dictum nõ ex eo vitiari, quod deponat dicens,* ni fallor, *vel ni decipior, vel vt arbitror: neq; hac ratione eius teſtimonium reddi dubiũ. Cui etiã ſententiæ elegantiſsimis verbis ſuffragatur Cicero, pro M. Foteio, qui cùm ſatis multa teſtibus, vt eis credatur, neceſſaria, propoſuiſſet Induciomarum Gallũ aduerſus Fonteium teſtem, irridens ait. Credo hac eadẽ Induciomarũ in teſtimonio timuiſſe, aut cogitaſſe,* 1

qui

qui primũ illud verbum noſtræ cõſuetudinis, arbitror, quo nos etiã tũc vtimur, cũ ea dicimus iurati, quæ cõperta habemus, quæ ipſi vidimus: ex toto teſtimonio ſuo ſuſtulit, atq; omnia ſe ſcire dixit. Et de eadẽ re, eſt nõ prætermittendus apud eundẽ Ciceronẽ loc⁹, in Lucullo, dũ ait. Quã rationẽ maiorũ et iã cõprobat diligentia, qui primùm iurare ex ſui animi ſententia quenq; voluerunt, deinde ita teneri, ſi ſciens falleret, quod inſcitia multa verſetur in vita: tum qui teſtimonium diceret, vt arbitrari ſe diceret, etenim quod ipſe vidiſſet, quæq; iurati iudices cognouiſſent, vt ea nõ vt eſſe facta, ſed vt videri, pronuntiarẽtur. Nec mihi diſplicet quod Martinus de Laude, Frãciſcus Curtius, Claudi⁹, et Zaſius aſſerunt, cõmunem illã ſententiã procedere, ſi teſtis attuliſſet bonã, vtilẽ, & cõcludentẽ rationem ſui teſtimonij. Nam addita cõcludenti ratione, teſtis fidem facit, quanuis dicat, credo verũ eſſe, vt docet Bal. in. l. teſtiũ. C. de teſtibus. Quòd ſi ratio cõcludẽs deficeret, fides teſtimonio derogaretur. Sed

2 *de his hactenus, ad maiora veniamus. Arbitror enim è re eſſe oſtẽdere, quænã ſit ea nõ ſimulata, ſed vera potius philoſophia, quã principibus, legũq; conditoribus, ac ſummis magiſtratibus affectãdã Vlp.*

proponit

proponit. Ego eã eſſe reor, à qua vitiorum, peccato rũq; noſtrorũ, omnis petenda correctio eſt: quanq; maximè ſequi ducem legũlatores, qui æquũ ab ini quo diſcernere, licitum ab illicito ſeparare volunt, bonos præmio, ac pœna ſubditos efficere cupiunt, oportet. Neq; ad id efficiendũ, eã ſolũmodo ſapien tiæ partẽ exiſtimo eſſe neceſſariã, quæ dat propria cuiq; præcepta, nec vniuerſum componit hominem, mariti tantùm cum vxore officiũ docet, patri quo modo educet liberos oſtendit, ac dño quomodo ſer uis imperet. Quanuis hanc ſolam quidã recipiãt, cæteras, tanquam extra noſtram vtilitatem vagã tes, cõtemnentes, quaſi poßit de parte ſuadere, niſi qui ſummã prius totius vitæ cõplexus eſt. Verùm hi veræ philoſophiæ cultores dici non poſſunt, cùm eius ſolũmodo partẽ amplectãtur, et eã quidẽ leuẽ, vt pote quæ nõ deſcẽdat in pectus, neq; vllo modo in aĩo figere ſola radices poßit. Is nãq; virtutũ chorus eſt, et catena, vt vna ſine alijs, aut nulla ſit, aut im perfecta. Vndè à Stoicis dicitur, eũ qui ſeſe ad totã vitã inſtruxerit, nihil neceſſe eſſe particulatim ad moneri, doctum in totũ, nõ quomodo cũ vxore, aut cum filijs viuat, ſed quomodo benè viuat. Sed quẽ admodũ in affectibus, cùm aliquẽ amare alterum dicimus,

dicimus, ſi verè id fiat, non intelligimus partem diligere, odio verò habere alteram partem, ſed ad totum æqualiter affici: ſimiliterq; & ebrij, non ſolùm illud, aut alterum, ſed quodlibet, quacunq; capta occaſione vinum auidè expetunt, nec aliter veræ philoſophiæ affectatores, partem aliquã doctrinæ ſpernere, partem amplecti nõ decet, ſed ad omnem iuſtitiã prõptiſſimos, et inexplebiliter inhiantes ſe præbere, vt veri et legitimi euadãt pholoſophi, quibus reipu clauus meritò cõcredatur. Attñ ſedare eos primùm oportet perturbationes, vt pulcherrimi operis ſtudio ſit locus, cui vacare mens nõ niſi viтijs libera poteſt: cũ in eodẽ pectore nullũ ſit turpiũ honeſtorũq; cõſortium. Vt enim ſi quid oculis oppoſitũ remoretur viſum, remoueri primùm illud conuenit (laberetur nãq; cõtinẽter, et erraret, qui niſi illo reiecto, aut ingredi iter pedib⁹, aut ſumere vellet aliquid in manus) nõ ſecus vbi quid obcæcat animum, & ordinem officiorum videri impedit, nihil agit, qui parentum munera, vel cõnubij leges edíſcit. Quid enim illa proficiẽt ei præcepta, cui mẽti error infuſus eſt? Si quis verò, ijs primũ díſcuſſis nebulis, in ſecuriſſimũ philoſophiæ portum, veluti magna iactatus tempeſtate confugiat, omnemq; voluntatem,

luntatem, atque ſtudium in eius ſanctiſsimum ſinũ conferat, quid cuique debeatur officio, apertè cognoſcet. Nam expulſis ignorantiæ tenebris, in opinione adhuc nullum firmabit pedem, ſed ad cognitionem vſque veritatis, & entium ſcientiam contendet: iam demum intelligens philoſophiam, ſi vera ſit, non opinione conſtare, ſed veritate & ſcientia, qua æquũ ſeparans ab iniquo, licitum diſcernẽs ab illicito, & ſibi, & reipub. ſalutares inſtituet leges, eò præcipuè tendẽtes, vt aut ſpe, aut metu, boni efficiamur. Ea enim vera philoſophia exiſtimãda eſt, quæ nos docet mortales omnes res, ad corporis ſanitatem, vires & habitudinem (ad hoc ſiquidem creata ſunt) referre: corpus autem animo immortali, & diuino, omni ſenſu obedire, quandoquidem illi veluti inſtrumentum datum eſt: animum verò Deum rerum omnium parentem, infinitè bonum obſeruare, timere & religioſè colere. Atq; hũc arbitror eſſe veriſsimũ iuriſconſulti ſenſum, qui cùm omnem iuriſprudentiam eò retuliſſet, eiuſq; finem, & ſcopum eſſe dixiſſet, vt boni quacunque ratione efficeremur, huius rei artem, & diſciplinã veram philoſophiam eſſe dixit, cuius ſe, & omnes iuriſconſultos affectatores eſſe gloriatur. Nec id

mirum,

mirum, quandoquidem impoſsibile eſt, eum qui neſciat, qua ratione iuſta, & honeſta, bona ſint,
3 *idoneũ ſe ipſum exhibere cuſtodem. Quo fit vt à Philone Achademicorũ poſt Platonẽ principe, merito cõmendetur Moſes, quòd quatuor aſſequutus eximia fuerit, factus idem Rex, legiſlator, propheta, et põtifex. Nã regnauit, inquit ille, nõ more alio rũ fretus copijs pedeſtrib⁹, equeſtribus, et naualib⁹: ſed Deo, cuius authoritate regnũ acceperat, ſubditis volẽtibus, ac libẽtibus, qui numinis cæleſtis inſtinctu, eũ ſibi principẽ optauerãt. Idẽ & legiſlator factus eſt: regis enim eſt vetare, iubereq́. Et quoniã vtrobiq́ incertũ eſt, quid cõducat, (accidit nãq́ per ignorantiam plerunq́, vt vitanda iubeamus, iubenda vetemus) ideo conueniebat tertiam adhiberi prophetiam, ne quid erretur. Nam propheta interpres eſt Dei dictãtis intus oracula: quidquid autẽ fit diuinitus, nõ eſt reprehẽſibile. Poſtremò quartus acceſsit pontificatus, vt pro ſua facultate prophetica, ſciret eũ, qui eſt, colere, & quãdo ſubditis res proſperè cedũt, gratias illi agere: quòd ſi vlla inciderit offenſio, ſupplex impetraret veniam. Hæc cùm ad idẽ genus pertineãt, debent cõtineri, coaptari q́ mutuis vinculis, et in eodem requiruntur homi*

ne,

ne, vt ſi cui quoduis deſit horũ quatuor, claudicantis reip. princeps cenſendus ſit. Sunt autem ferè hæc omnia à Platone in dialago ciuili, vel de regno, eleganter tradita, præcipuè illud, reges maximè ſacerdotiũ decere. Figura nanq;, inquit, ſacerdotum, & vatũ, magnanimitate, intelligẽtia, et claritate abũdat, propter earũ rerũ quæ aggrediũtur, tractãtq;, magnificentiam. Quapropter apud Ægyptios, nõ licet regẽ, abſq; ſacerdotio imperare. Nec ſecus noſter iuriſconſultus, hæc quatuor hac vnica lege cõplexus eſt. Nã et iuris, legiſq; poteſtatẽ deſcripſit, & ſe ſacerdotẽ profeſſus, legũlatoris officiũ, in præmiorũ, pœnarũq; cõſtitutione mõſtrauit, et veræ philoſophiæ affectatores iuriſcõſultos eſſe oportere docuit. Vt iã illud quod paradoxũ iudicatur, veriſſimũ eſſe, fateri neceſſe ſit. Niſi philoſophi ciuitatibus dominẽtur, vel ij qui reges, potenteſq; dicũtur, 4 *legitimè ſufficienterq; philoſophentur, in idemq; ciuilis potentia, & philoſophia concurrant, non fore ciuitati, vel hominum generi, requiem vllam malorũ. Id aũt vel exemplo probat Seneca ad Lucilliũ dicens, illo ſæculo, quod aureum perhibetur, penes ſapiẽtes fuiſſe regnũ, Poſsidonius aſſerit. Hi cõtinebãt manus, et infirmiores à validioribus tuebãtur,*

ſuade-

ſuadebãt, diſſuadebantq́; utilia atq; inutilia mon ſtrabant. Horũ prudentia, ne quid deeſſet ſuis, pro uidebat, officium erat imperare, nõ regnum. Nec erat cuiquam aut animus in iniuriam, aut cauſa, cùm benè imperanti, benè pareretur, nihilq́; rex ma ius minari malè parentibus poſſet, quàm vt abiret è regno. Vndè illud eueniſſe credo, quòd in.l. cũ Syllanianum. C. de his quib. vt indig. & philoſophia cõ mendatur, & philoſophiæ plenus laudatur impera tor, & à Theodoſio in.l.1. C. de ſtud. lib. vrb. Romæ et Conſt. lib. 10. profundioris ſcientiæ, atque doctrinæ authores philoſophi appellantur. Quòd ſcilicet, niſi ſe veræ philoſophiæ affectatores oſtendant, glo rienturq́, vel ipſi principes, ſe ipſos regno, et mageſtate indignos fateantur: ij verò ab ipſa natura cõ ſtitui principes, & magiſtratus videantur, quibus cæteri ſeruiant, qui felici ingenio nati, in familiari tatem ſapientiæ ſeſe benè intus inſinuarunt.

Delphici oraculi interpretatio. nume. 1.
Hominis dignitas. 2
Iuſtitia præ ceteris virtutibus, circa alterius commoda verſatur. 3
Noſſe oportere vnde nomen iuris deſcendat, quomodo accipiendũ ſit. 4
In omni diſputatione, aut de re, aut de nomine, controuerſia eſt. 5
Cum ius à iuſtitia appelletur, quod à iuſtitia non deducitur, ius non eſt. 6
Iuſtitiam priorem eſſe iure, & quomodo id ſit intelligendum. 7

Obſeruata in libro ſecundo.

Iuſtitiæ definitio. num. 1
Fundamentũ iuſtitiæ eſſe fidẽ quomodo accipiendam ſit. 2
Negotia cauſaſq; mutari in dies, iuſtitiam eandem ſemper eſſe. 3
Iuſtitiam meritò nominatam conſtantẽ, & perpetuã, quod nonnulli quale eſſet non perceperunt. 4
Cauſarum, quæ cõſtanter operentur, & quæ inconſtanter. 5
Formæ Platonicæ quæ ſint. 6
Quæ iuſtitia dicta ſit ab Vlpiano conſtans & perpetua. 7
Explicatur l. fin. ff. de iuſt. & iur. 8
L. ſed licet. ff. de offi. præſ. quomodo intelligenda. 9
Quam dicant iuſtitiã iuriſconſulti. 10
Iuſtitiæ definitio Ciceroniana, cum Vlpiani definitione confertur. 11
Virtus ſit ne affectus, an potentia, an habitus. 12
Voluntas generale verbum multa cõplectitur. 13
Voluntatis verbum rectè ab Vlpiano poſitum in definitione iuſtitiæ. 14
Conſtans & perpetua voluntas, an habitus dici poſſit. 15
De qua voluntate accipiendũ ſit quod Vlpianus ait. 16
Præmium & pœna locum non habent in brutis. 17
Regiæ leges & ciuiles cur latæ in quadrupedes. 18
Iuſtitiã cur appellauerit Vlpianus voluntatem, 19
Iuſtitia ius ſuum cuiq; tribuit. 20
Qualiter intelligatur, iure naturali omnia eſſe bommunia. 21
Iuſtus primum ſibi, eum corpori, tum animo neceſſaria miniſtrat. 22
Verba illa Gen. 8 ſenſus & cogitatio humani cordis in malũ prona ſunt ab adoleſcẽtia ſua, quo pacto intelligenda 23
Vlpiani reſpõſum in l. 1. §. ius naturale ff. de iuſt. & iure. examinatur. 24
Matrimoniũ an ſit de iure naturali. 25
Intellectus dicti §. ius naturale. 26
Corpori quæ ſint tribuẽda, & quãtũ eiꝰ cauſa laborare hominẽ deceat. 27
L. vt vim. ff. de iuſt. & iur. & ſimilium interpretatio. 28
Pro defenſione honoris, aut rei familiaris, an liceat alium occidere. 29
Bannitus an poſſit ſeſe defendere. 30

Adulter, iuſtè ne ſe defendat. 31
Defenſionis limites excedens extra ordinariè punitur. 32
Qui dum ſe defendit occidit alterum, non fit irregularis. 33
Defenſio ſit ne iuris gentium, an naturæ. 34

Obſeruata in libro tertio.

IVſtitia in commutatiuam & diſtributiuam diuiditur. num. 1
Vtriuſq; partis medium eſſe æqualitatem. 2
Duplex differentia iuſtitiæ commutatiuæ & diſtributiuæ. 3
Iuriditialis cauſa quæ dicatur. 4
Ratio. l. ſi ita ſcriptum. ff. de liber. & poſthu. 5
L. is qui ſola. ff. de legat. 1. qua ratione nitatur. 6
Exempla iuſtitiæ commutatiuæ. 7
L. in cauſæ. §. idem Pomponius, & l. item ſi quæritur. §. quemadmodũ ff. locati, quibus dicitur, in precio emptionis & venditionis, naturaliter licere contrahentibus, ſe circũuenire, variæ interpretationes. 8

Obſeruata in libro quarto.

IVris definitio. num. 1
Diuerſa interpretum commenta ad iuris definitionem. 2
Quod ius à Celſo hac definitione comprehenſum ſit. 3
Quis debeat eſſe legumlatorum finis in ſanciendis legibus. 4
Bonorum, in diuina & humana partitio. 5
Ius vniuerſum circa hanc bonorũ partitionem verſari. 6
Iuriſprudentia quantum humanæ valetudini, & cõmuni reip. ſaluti proſpiciat, propoſitis è iure ciuili exẽplis oſtenditur. 7
Lex 12. tab. in vrbe ne ſepelito. 8
Morbus à quibus rebus excuſet. 9
Patrimonialia beneficia aliquando etiã non originarijs conferri. 10
Lex hiſpana prohibens exteros beneficia eccleſiaſtica obtinere, explicatur. 11
Pulchritudinem, ornatumq; vrbis & ſingulorum, curæ eſſe iuriſprudentiæ. 12
Deformes arcebat à ſacris lex vetus. 13
L. ex hac. ff. ſi quad. paup. fec. dic. explicatur. 14
Gymnaſticæ & bellicæ exercitationis vtilitas in bene conſtituta rep. 15
Loca gymnaſticis exercitationibus à iuriſprudentia fuiſſe cõſtituta. 16
Vectigalia neruos eſſe reip. & quanta fuerit veterum legumlatorum cura peculij. 17
Cõparandis, erogandiſq; pecunijs quis modus adhibendus. 18
Humana bona ad diuina eſſe referenda. 19
Prudentiam quomodo ius doceat: & qua in parte reip. hæc virtus locata ſit. 20

Platonis

Platonis fabella de metallis admixtis hominum generationi. 21
Temperantiæ quoq; artem ius eſſe: & qua in parte hæc virtus ſit conſtituenda, vt ciuitas temperata dici poßit. 22
Explicatur. l. princeps. ff. de legibus. 23
L. 1. ff. de conſtit. princ. interpretatio. 24
Quid ſinguli magiſtratus præſtare debeant. 25
Fortitudinis etiam præcepta ius tradere. 26
Ad quam reſp. partem fortitudo pertineat, 27
Cur ad audaciam, cum tamen ea virtus non ſit, tot præmijs adhortemur. 28
Iuſta Reſp. quæ ſit, & quòd iuſtitia in ſeſe virtutes continet omnes. 29
Aequitas in definitione iuſtitiæ poſita, quo ſenſu accipi debeat. 30
Aequitatis partitio, & eius mēbra. 31
Pietas quæ virtus & ad quos referatur. 32
Totum penè ius æquitatis partibus cōſtare. 33
Ius quare dicatur ars boni & æqui. 34
Geminam artem, ſcilicet cauſam & cō cauſam, in omnibus quæ fiunt conſiderari. 35
Singularum rerum triplicem eſſe artem, vtentem, facientem & imitantem. 36
Quid ſignificet. Cuius merito quis nos ſacerdotes appellet. 37
Cuius boni & æqui notitiam iuriſconſulti profiteantur. 38
Licitum ab illicito diſcernere quid ſit. 39
Virtutū cognitio iuris profeſſoribus neceſſaria. 40

Obſeruata in libro quinto.

Iuriſprudentiæ præſtantia. num. 1.
Medici iuriſperitis non ſunt comparandi. 2
Naturæ & fortunæ vocabula quomodo accipienda. 3
Iuriſprudentiæ finis eſt, præmio aut pœna ciues bonos efficere. 4
Officia aut per ſe ipſa; aut quod alteri vtilia ſint conſiderantur. 5
Virtutis fructus & magnifica præmia. 6
Conciliantur Platonis & Ariſtotelis de ſummo bono ſententiæ. 7
Præmia ijs qui de rep. bene merebuntur conſtituenda eſſe. 8
Ratio præmij quibus circunſtātijs metienda ſit. 9
Multis cauſis pœnas legitimè poſſe minui. 10
An ſine cauſa princeps deroget iuri poſitiuo. 11
Quibus cauſis pœnæ legibus conſtitutæ minuantur, augeantur, protrahantur, aut remittātur omnino. 12
Iuriſditialis generis in partes abſolutā & aſſumptiuam partitio, & earū inter ſe differentia. 13
Aſſumptiuæ partis in Comparationē, relationem criminis, remotionē criminis, & conceßionē ſubdiuiſio. 14
Cōparatione pœnā temperari, exēplis è iure ciuili propoſitis oſtēditur. 15

Comparatiuam eſſe indicationem. l. Ad beſtias. ff. de pœnis, cuius intellectus latè examinatur. 16
An meretrici volenti ei nubere, qui damnatus ad mortem eſt, annuendum ſit. 17
Relationem criminis valere plurimũ ad effugiendum ſupplicium, iuribus manifeſtis probatur. 18
Remotione criminis, hoc eſt cauſæ, vel rei, pœnam quoq; mitigari. 19
Conceſsio in purgationem & deprecationem diuiditur: rurſuſq; purgatio in imprudentiam, caſum, & neceſsitudinem, atq; his omnibus pœnam euitari. 20
Quas perſonas, & à quibus rebus excuſet ignorantia. 21
Ignorantia iuris an ſit lata culpa. 22
Peritiores conſulere quando quis teneatur. 23
Quod dicitur excuſari eius errorem qui peritioris conſiliũ ſequutus eſt, quatenus procedat. 24
Ignorãtia iuris quãdo præſumatur. 25
Fœminas & ruſticos non ſemper excuſat iuris ignorantia. 26
Deprecatio quid ſit, è quibus locis depromenda, & vbi locũ habeat. 27
Faciens vnum furtum æquiualens tribus, an furca ſuſpendi debeat. 28
Quod conſilium in vindicandis criminibus iudices ſequi conueniat. 29
Quatenus iudices benignos & miſericordes eſſe oporteat. 30

Obſeruata in libro ſexto.

Dictum teſtis deponentis per verbũ, niſi fallor, an valeat. nu 1
Vera, non ſimulata philoſophia, quæ dicatur ab Vlpiano. 2
Quæ deceant optimũ principem. 3
Rerum publicarum cuſtodes philoſophari oportere. 4

PETRI VELLEII GVEVARAE AD TITVLVM de officio præſidis Commentarius.

Ad illuſtriſſimũ Didacum Eſpinoſam, S.R.E. Cardinalem, Epiſcopum Seguntinum, ſupremæ curiæ Præſidem optimum, atq; in Hiſpaniȷs hæreticæ prauitatis maximum quæſitorem.



SALMANTICAE.
Excudebat Mathias Gaſtius.
1569.

ILLVSTRISSIMO DIDACO Eſpinoſæ, S. R. E. Cardinali, Epiſcopo Seguntino, ſupremæ curiæ Præſidi optimo, atq; in Hiſpanijs hæreticæ prauitatis maximo quæſitori. Petrus Vellerius Gueuara. S.

QVo ſim ingenio vel ex hoc intelliges. Ab ignotis quotidie tibi literæ redduntur, nec quiſquam eſt qui ſe aliquem eſſe velit, qui tibi de iſto ſtatu non fuerit gratulatus. Ego quià te cùm eſſes Salmanticæ, tam ſum benignè, & clementer acceptus, vt te in celſiſsima ſede dignitatis collocato, bene ſperare poſſem, nec adulatus ſum iſtam fortunam, nec admiratus. Non quod, aut ſtudiorũ præmia, quæ ſuſpicere ſolent alij contemnam: aut te affabilitatẽ illam priſtinã & morum ſuauitatẽ, cum honoris gradu verear commutaſſe, ſed quòd illa ſi quis magnopere expetat, virtute & literatura, nõ verboſis epiſtolis & frigidis ſalutationibus ambire oportere, ſemper iudi

cauerim. A te maximè qui (vt apoſtolicã ſedẽ facere Gregorius ait) in mãdandis magiſtra tibus, prouidere negotijs intendis, & non perſonis quibus eadem committuntur. Quod verò te Philippus rex noſter inuictiſsimus, gubernacula reipublicæ tractare, clauũq; tanti imperij tenere voluit, nõ id præter opinionem incidit, aut inſperatum. Daturum enim illum, ſimilem ſibi vicarium, omnes expectabamus: te autem dari, præclarę tui animi, & & naturæ dotes pro ſuo iure poſtulabant. Sanè ego cùm ex iuriſconſultorum reſponſis, ſcriptiſq; philoſophorum, præſidis munera, & officia tracto, à te ea omnia, non qualia in vſu, vitaq; communi ſunt ſolũ, ſed qualia finguntur aut optantur, abundè præſtari cerno. Itaque laborem hũc meum, tuo nomini, atq; auctoritati adiungi, voluntarium quidẽ fuit, atque etiam neceſſarium: vt ſi quod officiũ, eorum qui præſunt alijs, ab ijs qui de ea re diligentiſsimè ſcripſerunt, prætermiſſum fuit, eius à te ratio, quaſi ab exemplo iuſtitiæ & æquitatis exprimatur. Vale Salmanticæ Kalen. Februarij.

PETRI VELLEII GVEVARAE AD TITVLVM D. de officio præſidis Cõmentarius.

Digeſtorum lib.I. De officio præſidis titulus. XVIII.

QVOD Accurſius hoc loco ait, nunc de clariſſimis incipit tractare: nam Præſes eſt clariſſimus: vt. C. de priuat. carc. l. 1. ab eodẽ explicatur, in l. qui indignus, ſuprà de ſenatoribus. Sunt, inquit, multi ordines, alij maiores, alij minores. Eſt enim maior ſuperilluſtris, ſecundus illuſtris, tertius ſpectabilis, quartus deſcenſiuè eſt clariſſimus. Iſidorus quoq; lib. 9. ethimolog. c. 4. ſcribit. Primi ordines ſenatorum dicũtur illuſtres ſecundi ſpectabiles, tertij clariſſimi. Iam inferius quartum aliquod genus nõ eſt. Et Sidonius Apoll. lib. 8. epiſt. ad Namatium. Flauius Nicetius vir ortu clariſſimus, priuilegio ſpectabilis, merito illuſtris. Sunt autem legenda harum rerum curioſis, quæ Caſiodorus ſcripſit lib. 6. variar. lect. in formula illuſtratus, & lib. 7. in formulis ſpectabilitatis, & clariſſimatus. Quia verò hæc aliter initio im- 1

perij, multò aliter eo labente, ſe habuerunt, videant ſtudioſi, quæ apud Vuolfgangum Lazium lib. 2. Comment. reip. Rom. cap. 1. & 6. relata ſunt.
2 *Vndè quod Cuiacius in l. ne quis officialium. C. de decurionibus, & filijs eor. lib. 10. notat, præſides ſub iectos fuiſſe præfecto Præt. (ſi modo id verum eſt) Iuſtiniani ætate intelligendum eſt. Nam iuriſconſultorum (ex quorum libris pandectæ conſtant) temporibus, maior erat præſidū auctoritas, nouiſſimis conſtitutionibus, vt Antonius Vacca ſcribit, imminuta eſt.*

I. Macer libro de officio præſidis primo.

PRæſidis nomen generale eſt, eoq; & proconſules, & legati Cæſaris, & omnes prouincias regentes licet ſenatores ſunt, præſides appellantur, proconſulis appellatio ſpecialis eſt.

1 Præſidis nomen generale eſt. *Præſes qui, vt ex Valla Coraſius ait, inde dictus eſt, quòd gubernandæ prouinciæ præſit, & in genere capitur, et in ſpecie, vt Forcatulus probat dialogo 60. Necyomantiæ, num. 1. Sic etiam conſulis, & prætoris ap-*
2 *pellationem, omnibus magiſtratibus communem olim*

olim fuiſſe, quòd conſulerent, aut præirent, Conna-nus ſcribit, lib.2.comment.iuris ciui.c.4.num.11. Et ſi verò præſidis nomen adeò generale fuerit, vt 3
omnibus penè magiſtratibus conuenerit, legatos enim, & Proconſules, & ipſum præf.præ.præſides appellare licet, tamen ſi accuratius inſpixerimus, præſides propriè Romano populo illos fuiſſe reperiemus, qui ab Auguſtis ad prouinciarum adminiſtrationem deligebantur, earum ſcilicet, quæ minoris dignitatis eſſent, nec tantæ amplitudinis, vt iuſta poſſent regna conſtituere. Nam Alciatus libro.3.parerg.cap.3.& Roſcius libro.3. memorabilium cap. 9. obſeruatum, inquiunt, fuit, vt qui à populo mitterentur, prætores appellarentur, qui à ſenatu, proconſules, qui verò à Cæſaribus, præſides, vel Cæſaris legati. Fuereq; ex Auguſti formula, certæ populo prouinciæ aſſignatæ, aliæ ſenatui, alias Cæſar ipſe ſibi reſeruauit, prout lib.vlt. Strabo atteſtatur. Quis autem 4
magiſtratus nunc præſidi maximè reſpōdeat, Forcatulus dialogo.60.ex Budæi ſententia, præſides inſtar eorum, quos vicereges vocamus, habere ait. Coraſius contra Budæum probat: ait enim ad vicereges rei tantùm bellicæ, militariſq; curā pertinere:

cùm tamen olim ad præſides forenſium quoque negotiorum tractatio ſpectaret. Verũ ea me ratio non mouet, didici enim ex Platonis Parmenide, & Ariſtotele lib. 10. περὶ τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ *& Cicerone lib. 1. de inuentione, comparabile eſſe, quod in rebus diuerſis, ſimilẽ aliquam rationem contineat. Quod ad nos attinet, Oroſcius proconſulibus vicereges, præſidibus gubernatores, ſimiles eſſe arbitratur. l. 2. tit. 14 part. 4.* Eſtos ſon de los que ſon llamados en latin præſides prouinciarum, que quiere tanto dezir en romãce, como adelantados de al-
5 gunas tierras. *Quæ verò fuerint præſidales prouinciæ, nec cùm ab hiſtoricis fuſo ſermone ſcribatur, libet trãſcribere, nec adeò verboſos ſtudemus cõmentarios facere, vt aliquid, quod ad noſtrum inſtitutum non ſit neceſſarium, recenſendum ducamus. Satis conſtat ante conſtitutum imperium, præſidis nomẽ, generale omnibus prouincias regentibus fuiſſe, eo verò conſtituto, & præſidis nomen generale eſſe, et præſidatum, magiſtratum quendam eſſe à cæteris diſtinctum. Itaq; veriſimile eſt, præſidum, veluti Pamphiliæ, & Lyciæ (hi enim erant propriæ præſides, ſolo Auguſtorum arbitrio aſciti) potius quàm vel Cæſareæ procõſulis, vel Tingi*

taniæ

taniæ Proprætoris, à Iuſtiniano hoc titulo munera tradi, quanquam tam æqua ſunt, quæ præcipiũtur vt omnibus benè conueniant. Niſi fortè quis Bar 6
tolo credat, in l. multũ intereſt. ff. de verb. oblig. dicenti. Iſta lex non habuit reſpectum ad Iudæũ, vel hæreticum, vel de chriſtiano, cùm iſti condentes iura digeſtorum erant pagani, cùm leges fuerint facta per treçentos annos, antequam Chriſtus veniret, vel plus. Et Accurſius quoq; in l. pridie. ff. de ferijs, Chriſtum, ait, vel Vlpiani ætate, in virginem non veniſſe. Ex quibus ſequeretur eo tempore non conſtitutum imperium, atq; inde, de præſidibus prouinciarum hic non agi. Ego Iuſtinianum Imperatorem qui veterem iuriſprudentiam, multis ante voluminibus ſparſam, in quinquaginta libros pandectarum redigi mandauit, Triboniano Quæſtori ſacri palatij, ita iuſsiſſe ſcio, in l. 1. C. de vet. iur. enucl. Iubemus igitur vobis antiquorum prudentum, quibus auctoritatem conſcribendarum, interpretandarumq; legum, ſacratiſsimi principes præbuerunt, libros ad ius Ro- 8
manum pertinentes, & legere & elimare, vt ex his omnibus materia colligatur, nulla, ſecundùm quod poſsibile eſt, neque ſimilitu-

dine, neque diſcordia derelicta. Sed ex his hoc colligi, quod vnum pro omnibus ſuffi-ciat. *Sic ille. Sed ante tempora Auguſti autore Pomponio, in. l. 2. ff. de orig. iur. publicè reſpondendi ius, non à principibus dabatur, ſed qui fiduciam ſtudiorum ſuorum habebant, conſulentibus reſpondebant. Primus Diuus Auguſtus, vt maior iuris auctoritas haberetur, conſtituit vt ex auctoritate eius reſponderent. Igitur quo tempore digeſtorum iura condita, & ex quorum iuriſconſultorum reſponſis conſtent pandectæ, non rectè à quibuſdam animaduerſum eſt.*

7 Proconſules. *Ante Auguſtum, deincepſque proconſules dicti conſulares viri tantùm. A Conſtantino ad Iuſtinianum, proconſules dicebantur, non ſolùm conſulares ad regendas prouincias miſſi, ſed quicunque cum dignitate conſulari mitterentur, & id Coraſius & Eguinarius probauerunt.*

8 Legati Cæſaris, *Qui ſint, quos etiam præſidis nomine contineri dixit iuriſconſultus, operæpretium erit videre. Ac primum legatos fuiſſe ſatis conſtat, qui ad res inſpiciendas à ſenatu,*

ſiue

ſiue cum mandatis, exempli gratia, ad reges externos mittebantur, indicturi bellum, vel ad pacem hortaturi dubitantes. Factum eſt poſtmodum, imperio extra Latium propagato, vt conſules, proconſules, prætores ſortiti prouincias, ſiue exercitum educentes, ſuos quoque ſibi legatos adſciſcerent, quorum opera in legionibus gubernandis, legationibus obeundis, vicibus interdum ſupplendis vtebantur, ſi vel ſeparare exercitum opus eſſet, vel auocari Romam Imperatorem contingeret. Erant etiam legationes liberæ titulares, quando quis ſolo nomine legati, veluti ornamento quodam decoratus, ab vrbe diſcedebat, non magis in hac, quàm illa prouincia legati munere functurus, ſed propria potiùs, vbi ſibi eſſet commodum, negotia geſturus. De qua legatione ſunt apud Ciceronem nonnulla libr. 15. ad Atticum, & in orat. pro. L. Flacco, & Philipp. 1. Factum eſt deinceps labente, & imperio, & tempore, vt ijs prouincijs, quæ vnica poterant legione defendi, vel ad ſummum duabus, non alij magiſtratus, quàm earundem legionum legati, mitterentur, qui & legioni præeſſent, & prouinciæ, in qua legio excubabat,

ius

ius redderent. Atque hoc ordine longo tempore, plurimæ ſunt gubernatæ prouinciæ, interq; reliquas Betica, hiſpaniæ noſtræ ditiſsima, & frugaliſsima pars. Dicebantur autem hi, legati prouinciarum conſulares, non quòd conſules extitiſſent, ſed quòd ornamentis conſularibus, inſignijſq; fuerint ab Auguſtis decorati. Erant quoque inter tot legatorum ordines, legati quidam, cæteros honore & dignitate præcedentes, Auguſtales dicti. Horum quidam legati Auguſtales militares dicebantur, qui in commitatu Auguſti, & ijs exercitibus, quos imperatores ipſi ducebant, eo munere fungebantur. Alij legati Auguſtales conſulares appellabantur: qui & ornamentis conſularibus erant ornati, & Auguſtalibus prouincijs præſidebant, quarum ſibi adminiſtrationem Cæſares Auguſti, abſque ſenatus decreto, populiue iuſſu retinebãt. Quales Syria, Pon
6 *tus, Hiſpania, Germania, aliaq; erant. Apud iuris pontificij interpretes, alia eſt legatorum diſtinctio. Illi enim, legatos à latere appellant Cardinales, qui à Papæ latere in certam prouinciam deſtinantur. Eos verò qui à ſede apoſtolica mittuntur, non ex pontificis latere aſſumpti, ius ipſum*

legatos

legatos ſimpliciter, gloſſographi, miſſos legatos vocant. Eos autem qui ſuarum prætextu eccleſiarum, legationis ſibi vendicant dignitatem, noua dictione, natos legatos dicunt, quòd quaſi naſcantur legati, dum illis eccleſijs præficiuntur. Quo nomine epiſcopi omnes videntur deinceps cēſeri poſſe, cùm tot in cauſis, vt ſedis apoſtolicæ legati, concilij Tridentini decreto procedant.

Licet ſenatores ſint. *Ex eo ordine præſides eligi plerunq; ſolitos, ex lib. 53. Dionis Coraſius, & Vacca probant. Hotomanus aũt in deſcriptione magiſtratũ Rom. legit, licet ſenatores non ſint.*

Proconſulis appellatio ſpecialis eſt. *Eis ta-* 10
men communis, quibus idem quod conſuli liceret. Caius lib. 1. inſtit. titu. 1. de ſtatu hominũ. Ciues Ro. ſunt qui his tribus modis, ideſt, teſtamento, aut in eccleſia, aut ante cõſulem fuerint manumiſſi. Conſulem appellat omnem magiſtratum apud quem manumittendi ius eſſet.

II. VLPIANVS *libro vicenſimo ſexto ad Sabinum.*

Pręſes apud ſe adoptare poteſt, quemadmodum & emancipare filium, & manumittere ſeruum poteſt.

In.l.x.infra.iſto titu. iuriſcõſultus ait. Ex omni-
1 bus cauſis de quibus, vel præfectus vrbi, vel
præfectus prætorio, itemq; cõſules & præto
res, cęteriq; Romæ cognoſcunt, correctorũ
& præſidum prouinciarum eſt notio. *Vndè
illud apparet, ius prætoriũ præſidibus æquè, ac præ-
fectis prætorio, proconſulibus & legatis dari. Cu-
ius rei teſtis eſt Cornelius Tacitus lib. 2. hiſt. Au-
guſta, & Vopiſcus in vita Probi. Accepto, inquit
hoc ſenatuſconſulto, ſecundùm orationem permi
ſit patribus, vt ex magnorum iudicum appellatio-
nibus cognoſcerent, proconſules crearent, legatos
conſulibus darent, ius prætorium præſidibus da-
rent. Deinde labente imperio, hoc ius prætorium
à magiſtro officiorum præſides ſolitos accipere;
2 Caſiodorus ait lib. 6. variarum. Neque vero præ-
tores ſeruis libertatem ſolùm dabant, ſed & om-
nis liberalis cauſa apud eos agebatur, vt eſt de Vir
ginio exemplum in.l.2.ff.de orig.iur. Quod mu-
nus demũ ad tabullarios prouinciales perueniſſe,
vt de liberali cauſa cognoſcerent, ſcribit Capito-
linus in M.Cæſare. Per prouincias, inquit, tabulla
riorum publicorum vſum inſtituit, apud quos idẽ
de originibus fieret, quod Romæ apud præfectos
ærarij,*

ærarij, vt ſi fortè aliquis in prouincia natus cauſam liberalem diceret, teſtationes inde ferret. Vndè intelligimus, primò liberalem cauſam Romæ, vno tempore apud vrbanos prætores, aliò apud præfectos ærarij agitari ſolitam. Deinde dum ait, ſi fortè aliquis in prouincia natus, videtur ſignificare, cauſam liberalem, eam apud Tabullarios prouinciales agi, quæ prouinciali moueretur; non quæ alicui ciui Romano in illa fortè prouincia conſtituto. Si quidem Romanos
ciues, etiam extra vrbem, in exteris prouincijs eo 3
iure, & prærogatiua fuiſſe, vt non ab extraneis magiſtratibus, ſed ab aliquibus Romanis iudicarentur, quos ciuium curatores nuncupabant, plerique tradunt hiſtorici, & ex Cicerone ſatis conſtat lib. 5. ad Atticum epiſtola 21. Q. Voluſium, inquit, tui Tiberij generum, certum hominem, ſed mirificè abſtinentem miſi in Cyprum, vt ibi pauculos dies eſſet, ne ciues Romani pauci, qui illic negociantur, ius ſibi dictum negarent, nam euocari ex inſula Cyprios non licet. Quæ omnia de prætoris iure eò dicta fuerint, vt huius legis prærogatiuam, à prætoribus ad

præſides

*præſides deriuatam intelligamus, quorũ hoc erat,
vt ſe ipſos apud ſe, adoptare, vel in adoptionem da
re, vel emancipare poſſent, vt ab Vlpiano & Pau
lo traditũ eſt, in.l.1. & .2.ff. de offi.præt. Quod idẽ
magiſtratibus omnibus, apud quos legis actio eſſet,
ilcere Modeſtinus ſcribit, in.l.magiſtratum.ff.de*
5 *adopt. vbi legis actionem, plenam & ordinariã iu-
riſdictionem, meliùs Budæus exponit, quàm alij, le
gis actio, hoc eſt, actus legitimi. Quæ tamen omnia
vt Albericus, Bart. & Bald. docent in.l.ſi conſul.
ff.de adoption. intelligenda ſunt procedere, quia illi
actus emancipationis, adoptionis, & manumiſsio-
nis, ſunt voluntariæ iuriſdictionis, nam aliud eſſe
in contentioſa, traditum eſt in.l.ille à quo.§.in tem
peſtiuum.ff.ad Trebell. & in.l.qui iuriſdictioni.ff.*
6 *de iuriſd.om.iud. Quare prædicti magiſtri iubent
diſtinguere, dicentes quòd perſona per ſe conſidera
ta, nullo iure conceditur, vt quis duplici officio fun
gatur, & vicem gerat duorum, vt in.l.ſi plures.§.
1.ff.de pactis dicitur: animaduerſis verò qualitati
bus, officio, vel perſonæ annexis, ſi illæ inter ſe di-
ſcrepent, neque cohærant, vni vicem plurium ſuſti
nere non datur, vt eſt in contentioſa iuriſdictione.
Illis verò non repugnantibus, neque inuicem diſſen
tientibus,*

tientibus, plurium munera vnum exequi conceditur, vt in ea re de qua agimus. Benenāq; cohæret, & filium & magiſtratum, & dominum & præ- 8
ſidem eſſe. Qua de re plura per Abbatem in c. ex literis, numer. 10. vbi multa Felin. col. 4. de probat. Ex quibus ille ſoluitur nodus de quo Bart. Alber.
et alij, in d. l. ſi cōſul. ſi factū fuerit legatū prioribus 7
ciuitatis, & legata fuerint Titio, qui erat vnus de prioribus; quinquaginta, admitti Titiū ad vtrunq; legatum, quia compatibilia ſunt, & eſſe ex prioribus ciuitatis, & eſſe Titium. argumen. l. Titia. §. qui Marco. ff. de annu. legat. vbi expreſſe hæc quæſtio deciditur: Qui Marco homini docto certa
annua præſtabat, teſtamento cauit: domina 1
ſanctiſsima, ſcio te de amicis meis curaturam ne quid his deſit: verūtamen & Marco dari octingenta. Quæſitū eſt an Marcus, præſtitis ſibi ex cauſa legati octingentis, annua quoq; conſequi debeat? Reſpōdi nihil proponi, cur non ſecundùm ea quæ in conſulationē collata eſſent, debeantur. *Per quem textum dicebat Panormit. in c. cum olim. de ſent. & re iud. quòd habens duas qualitates in eccleſia, quarum qualibet ſeorſum meretur vocem de per ſe, & portionem,*

*habebit iſta duplicia. Quam ſententiam multis
argumentis confirmat ibi Felinus.nu.1.& .2.& di
8 ſputat Zabarella cõſ.53. Caſus talis eſt. Quod ar
bitror notandum doctoribus in vtroq; iure volen-
tibus, duplicibus diſtributionibus, ſeu proponis, ita
enim vulgò dicuntur, frui & honorari. Secus verò
9 eſt in niſinuatione donationis excedentis quingen
tos ſolidos, quæ corã ipſo donante, quamuis apud eũ
legis actio eſſet, inſinuari nõ poſſet, ea ratione, quia
cùm inſinuatio ob id requirat cauſæ cognitionẽ, ne
dolo, fraude, vi, metúue donatio fiat, ſi apud donã
tem donatio inſinuaretur, eadem fraude, vel dolo
quibus inducitur ad donandũ, ſuaderetur & inſi-
10 nuare. Nec obſtat argumentũ cui Bart. nõ reſpon
det in l. ſi paterfa. §. fin. ff. de adopt. ille nanq; tex. nõ
loquitur in emancipatione, ſed in arrogatione po-
tius, in qua cùm cauſæ cognitio requiratur, apud eũ
dẽ iudicẽ fieri non poſſe credendũ eſt: neq; videmus
facultatẽ hanc cõſuli, proconſuli, prætori, neq; præſi
di datã. Secus eſt in adoptione, in qua cũ patris præ
ſentia oẽm fraudis ſuſpicionem tollat, cauſæ cogni
tio nõ requiritur. Ea eſt ſiquidem inter arrogationẽ
et adoptionem differentia, vt in l. 2. ff. de adop. dici
tur, quòd principis auctoritate adoptamus eos, qui*

ſui

ſui iuris ſũt, quæ ſpecies adoptionis dicitur arroga tio: imperio verò magiſtratus adoptamus eos, qui ſunt in poteſtate parentis, quẽ filiorũ cõmodis ſatis cõſulturũ, æquũ eſt credere. Hinc etiã oriri ſolet illa 11
diſputatio, quãdo tabellio de facto proprio poſsit cõ ficere inſtrumentũ, & quando iudex, idẽq; notari⁹ poſſit ſcribere acta corã ſe. Qua in quæſtione cum multa ſint ab interpretibus tradita, nos digitos ad fontes intendere ſatis ſit: eã examinant Bart. in. l. iubemus. §. ſanè. C. de S. S. eccleſ. & in. l. ſeruus cõ-munis. ff. de ſtipul. ſeru. Bart. & Alber. in. d. l. ſi cõ-ſul. Panor. & Feli. in. c. ex literis, de probat. Qui- 12
bus cõfirmari videtur Baldi ſentẽtia. in. d. l. ſi cõſul vbi ait, comitem ſacri palatij, poſſe legitimare filiũ ſuum corã ſe ipſo, quod nõnulli ſequuntur. Sed eſt quòd dubitemus, cũ ex. c. per venerabilẽ, iuncta ibi gl. in parte, gratiã, probari videatur, neminẽ poſſe propriũ filiũ legitimare, quãuis alienos poſsit: et vt Iaſ. in. l. qui iuriſdictioni col. 2. nu 9. ff. d̃ iurid. om. iu. cõſiderat aduerſus Baldũ, cùm in legitimatione requiratur cauſæ cognitio, parentẽ ipſum, cognitio nis iudicẽ eſſe nõ decet. Vel ob id ſolùm quòd pater, 13
ſi eã ex qua legitimandum genuit, accipere in vxo rem poteſt, abſq; tali matrimonio nõ datur, filiũ illũ

poſſe fieri legitimũ, vt notatur in auth. quibus mod. natur. eff. §. ſi quis ergo. collat. 6. Quod dicit mirabile; & non reperiri alibi Bald. in c. illud. num. 3. de præſumpt. Sed quandoquidem idem Iaſo. in l. eſt receptum col. 3. num. 8. ff. de iuriſd. omn. iud. ſibi nõ conſtans, ſecundum Baldũ videtur iudicare, ideo hanc rem commodiori loco reſeruemus.

14 Et manummittere ſeruum poteſt. *Niſi minor ſit viginti quinq; annis, qui apud ſe non manumittit, niſi cauſa probata apud collegam, Coraſius & Eguinarius: apud quos pro xxv. legendum xx. certum eſt, cùm afferant. l. 1. ff. de offi. conſ. vbi ita ſcriptum eſt.* Sed ſi euenerit vt minor viginti annis conſul ſit, apud ſe manumittere nõ poterit, cùm ipſe ſit qui ex ſenatuſconſulto conſilij cauſam examinat, apud collegã verò cauſa probata poteſt. *& in titulis de manumiſſionibus, & de manumiſſis vindicta, idem ſcriptũ eſt. Verùm illud de conſule dicitur, quod ad præſidem iſti ſine diſtinctione transferunt. Itaque vellem vt paulò apertiùs loquerentur: conſulis enim conſulem collegam noui, præſidis, quem dicant collegam, non noui.*

III. Paulus libro terciodecimo ad Sabinum.

Præſes

PRæſes prouinciæ in ſuæ prouinciȩ homines tantum imperium habet, & hoc dum in prouincia eſt, nã ſi exceſſerit priuatus eſt. Habet interdum imperiũ & aduerſis extraneos homines, ſi quid manu cõmiſerint. Nã & in mandatis principum eſt, vt curet is qui prouinciæ præeſt malis hominibus prouinciã purgare, nec diſtinguitur vndè ſint.

Nã ſi exceſſerit. *Feſtus excedere, egredi, atq́; ita paßim apud auctores. Cruceus hoc loco, excedere, decedere ſignificare putat, & quaſi imperium deponere. Quod non improbo: nam & eo ſenſu à Vergilio dictum videtur, tum quos amiſit inultus amores, & ſtabula aſpectans regnis exceſſit auitis. et cùm reuerſus exceſſit præſes, voluntariã iuriſdictionem, etiam extra prouinciam exercet, & in his quæ ad contentioſam pertinẽt, extra prouinciã conſtitutus, iudices intra prouinciam dabit.* 1

Priuatus eſt. *Priuatos eos latinè dicimus, qui ſine poteſtate vel imperio ſunt. Atq́; id apud Cicerone pro P. Seſtio ſignificatur. Pro me vno ciue, et bonos omnes priuato conſenſu, & vniuerſum ſenatũ publico conſilio mutaſſe veſtem: & in oratione de Aruſp. reſp. Tua tũ tua Cn. Lentule, eadẽ virtus* 2

fuit,quæ in priuato quõdã tuo proauo. Scipionem Naſicã intelligit,qui propria auctoritate,cùm nullo fungeretur magiſtratu,Gracchũ ſeditioſum trib. interfecit.Et lib.1.de inuẽt,vbi de cõfirmatione agitur,in fortuna quæri oportere docet, ſeruus ſit an liber,pecunioſus an tenuis,priuat⁹,an cũ poteſtate.

3 Nam ſi exceſſerit priuatus eſt. *Coraſius & Oroſcius ſcribunt,hoc ita verum eſſe,vt tñ voluntariam iuriſdictionem retineat,& in his quæ cõtẽtioſæ iuriſdictionis ſunt,iubeat iudicare.Nãquã uis extra prouinciã ſibi demandatã contentioſam iuriſdictionẽ nõ exerceat,ſecus in voluntaria eſt: quã ſtatim,quàm vrbem egreſſus fuerit,habere,vt manumitti apud eũ poßint,tã liberi,quàm ſerui,et adoptiones fieri, docet.l.oẽs.ff.de off.procõſ.Vacca in.l.17.infrà iſto tit.cõtra putat. Quinimo procõſu*

4 *lem poſtquã ei ſucceſſum eſt,nec in ipſa prouincia volũtariã iuriſdictionẽ retinere,probari eo capite cenſet,vbi Celſus ait.*Si fortè præſes prouinciæ manumiſerit,vel tutorẽ dederit,priuſquã cognouerit ſucceſſorẽ aduenisse,erũt hæc rata. *Quanquã Vlpianus in.l.fin.ſuprà de off.procõſ.dicat,procõſulẽ portã Romæ ingreſſum deponere imperium.Ego diſcretione tẽporum,& perſonarũ, explicari*

plicari hæc cōijcio, quæ tā inuoluta videantur. Ac
primùm proconſul, de quo l. omnes, & l. fin. et præ-
ſes de quo hac. l. et l. 17 nō tam ſunt pares, vt quid
quid valet in altero, valere quoq; in altero, à dictis
interpretib⁹ putādū fuerit. Deindè nō debet is, qui
cùm ſibi ſucceſſū ſit, exceſſit, putare ea ſe poſſe exer
cere, quæ prouinciā obtinens, etiā extra illā exerce-
bat: id. n. magiſtratibus, nō priuatis conceſſum eſt.
Præterea nō ſi in prouinciā proficiſcēs habet iuriſ
dictionē volūtariā, iccirco et decedēs, eādē exercet
poteſtatē: multū. n. differt, cùm poteſtate ne quis, et
ditione mittatur, an ab imperio, & admiſtratione
euocetur. Quod vt melius intelligatur, operæpretiū
erit videre, quid illud ſit, quod in. l. oēs dicitur, ſta- 5
tim quā vrbē egreſsi fuerint. Arbitror. n. de ea
ꝓfectione agi, quādo proōſules à ſenatu ad portā
vſq; ingenti celebritate deducebātur, vt eſt auctor
Cicero in oratione in. L. Piſonē, et Liui⁹ lib. 2. Dec.
5 dicens. Per hos fortè dies P. Licinius Cos, votis in
capitolio nūcupatis, paludatus ab vrbe profectus
eſt. Sēper quidē ea res cū magna dignitate, ac ma-
ieſtate geritur: præcipuè conuertit oculos, animoſq;
cū ad magnū, nobilēq;, aut virtute, aut fortuna ho
ſtē, euntem conſulē proſequuntur. Et iterum idem

Liuius lib. 4. Dec. 5. inde, inquit, et cõſul & prætor Cn. Octauius in Macedoniã profecti ſunt. Traditum eſt memoriæ; maiore quàm ſolita frequentia proſequentiũ, cõſulem celebratum. Quem morem ſeruat adhuc hodie ſanctiſsimum Cardinaliũ collegium, vt ſi quando à ſummo põtifice, quiuis eorũ mittatur legatus, cæteri eundẽ ad portam vſq; proſequantur, vbi felicem & profectionem precãtur, & reditum. Et ita vidi fieri anno ſecũdo pontificatus Iulij tertij pontificis maximi, qui cùm ad Tridentinã ſynodum, reuerendiſsimũ Cardinalẽ Creſcẽtium, legatum mitteret, cæteri ſenatores, eundẽ magna frequentia, ad portã vſq; Diui Petri proſequuti ſint.
6 *Quod ad cõtẽtioſam iuriſdictionẽ attinet, diſtinguere oportet, vel enim præſide extra fines mãdatæ ſibi prouinciæ cõmorãte, rei etiã extra prouinciã poſitæ, iudiciũ ab eo quæritur, & tunc, vt in l. fin. ff. de iuriſd. om. iud. dicitur, extra territoriũ ius dicenti, impunè non paretur. Idemq; eſt ſi ſupra iuriſdictionem ſuã velit ius dicere. Quæ ſentẽtia multipliciter ibi ab interpretibus, præcipuè Iaſone, & Vldarico Zaſio, extenditur, & limitatur: non meæ ſunt partes aliorum dictis, & opinionibus leui occaſione totum volumen implere. Vel iudice exi-*
ſtente

ſtente in prouincia, de re ipſius prouinciæ quæritur, & tunc ut ab Vlpiano in l. ſeq. dicitur. præſes prouinciæ maius imperiũ in ea prouincia habet omnibus poſt principem, *& in l. 11. dicitur.* Omnia prouincialia deſideria; quæ Romæ varios iudices habent, ad officiũ præſidis pertinere. *Vel apud præſidem extra prouinciã de pro-* 8
uinciali re diſceptatur, quæ in ſpecie dicendum eſt, præſidem extra diœceſim, ius dicere nõ poſſe, benè tamẽ delegare alicui cauſam, qui intra territoriũ iudicet, arg. l. fin. ff. de offi. præf. vrb. vbi Vlpianus ait. Præfectꝰ vrbi, cùm terminos vrbis exierit, poteſtatẽ nõ habet extra vrbẽ, ſed iubere iudicare poteſt. *Quod dicit eſſe ſatis mirabile Zaſius in l. fin. ff. de iur. om. iud. in. 5. limitat. & ad multa ſimilia tranſferũt intepretes. Inde quæritur apud* 7
Albericum & Baldum, ſi poteſtas eſt in exercitu extra territorium ſuum, vel rex cum gẽtibus ſuis in trãſitu vltramarino, vtrum poſſint ſubditos delinquentes punire: & poſſe quidem reſponderunt, quia vniuerſitas videtur ducis ſui iuriſdictionem prorrogaſſe, ſine qua bellicæ res geri rectè nõ poſſet, arg. text. in. c. 1. de off. deleg. et. l. 2. ff. de iuriſd. om. iu. vbi Iabolemus ait. Cui iuriſdictio data eſt, ea

quoq; cōceſſa eſſe videntur, ſine quibus iuriſdictio explicari nō poteſt. *Quòd et ipſe puto ꝓbandū, et ſentire videtur Cicero Philip. 11. dū ait, quācunq; in prouinciā belli gerendi cauſa aduenerint, ibi maius imperiū imperatorū, et procōſulum eſſe, quàm eius erit, qui eam prouinciam obtinebit.*

8 Habet interdū imperiū & aduerſus extraneos homines. *Nēpe quia rōe delicti poſſe quenquam vbi peccauit, imo debere ibi et meritas pœnas luere, æquitas ſuggerit, quā probat l. 1. C. vbi ſen. vel clariſ. dū ait.* Quicūq; nō illuſtri, ſed clariſſima dignitate præditus, virginē rapuerit, vel fines aliquos inuaſerit, vel in aliqua culpa, ſeu crimine fuerit deprehēſus, intra prouinciā in qua facinus perpetrauit, publicis ſubiugetur legib⁹, nec fori pręſcriptione vtatur: omnē n. huiuſmodi honorē reatus excludit. *Quæ in diſpoſitione intelligendū eſt, publicis legibus, eiuſdē ſ. prouinciæ, vt Bart. et Bald. aiunt, nō publicis, id eſt ciuilis, ſeu vniuerſalis iuris. Eſt aūt huius diſpoſitionis multiplex ratio. Prima ex Caſſiodoro lib. 6. variar. in formula rectoris prouinciæ, facilè poteſt colligi, dū ait. Omninò prouidè decreuit antiquitas, iudices ad prouinciā mitti, ne poſſit ad nos veniendo medio-*

mediocritas ingrauari. Quis.n. latronũ ferret audaciã, ſi longè poſitã cognoſcerent diſciplinã? Ab ſolutè poterat vis pmiſſa graſſari, ſi cõquererẽtes tardius crederẽtur audiri. Sed quãtò melius in ipſis cunabulis adhuc mollia reprimere, quã indurata crimina vindicare? In cõpendiũ mittimus mala, ſi præſentia facim⁹ eſſe iudicia. Quis.n. audeat peccare, cũ ſupra ceruices ſuas diſtrictionẽ cognouerit imminere? hæc Caßiodorus. Sed et illæ quoq; cõgruæ rationes ſunt: prima propter dignitatẽ iudiciorũ, et legũ. Videtur ſiquidẽ nobis fieri iniuria, cũ domi noſtræ, nobiſq́; præſentibus peccatur. Altera, vt quibus delicto peccãdi exẽplũ datũ eſt, eiſdẽ et animaduerſionis ſeueritas oſtẽdatur, metuq; pœnæ, delinquẽdi cupidinẽ et libidinẽ deponãt, quã ex alieno peccato pceperũt. Atq; his cõſonat, quod à Platone præcipitur li. 9. de legib⁹. Si in foro id cõtigerit, inquit, ibidẽ à venaliũ rerũ curatorib⁹ puniatur: in alijs partibus vrbis ſimiliter ab ædilib⁹, qui præſentes fuerĩt. Eodẽ modo extra vrbẽ in agro, ab ijs qui curãdis agris tũ præſidẽt. Et rurſus li. 11. ait. Qui primus inſpexit, iudicib⁹ indicet. Ac ſi in vrbe delictũ eſt, ædilib⁹, ſin verò in agro, agrorũ curatoribus, eorũq; prĩcipibus. Si in foro rerũ venaliũ, earũ curatoribus id ſignificet.

De

De remiſſione in delictis facienda, vel nō abundè hic Oroſcus, Coſtalius in. l. 1. ſuprà iſto tit. Bar. et interpretũ turba in. l. 1 C. vbi ſenat. et in. l. 1. et in auth. qua in puincia. C. vbi de crim. Auēdaño. 2 par. c. 7

9 Si quid manu cōmiſerint. *In aliis exēplaribus legi, ſi quod malũ, Oroſcus et Cruceus animaduertunt. Sed in Florentinis eſt, ſi quid manu. Idem autem dicendum, ſi nō manu, ſed fraude, dolo malo, verbis, aut alio modo nocitum ſit. Vacca & Coraſius probaberunt.*

10 In mandatis principum eſt. *Mandata principum appellat, imperatorũ codicillos, quibus magiſtratibus forma gubernandarum prouinciarum perſcribatur, atq; ita hoc loco, & . l. 1. ſuprà de off. præf. Auguſt. Coraſius & Eguinarius ſcripſerũt.*

11 Nec diſtinguitur vndè ſint. *Hinc illud deducitur, quod vulgò dici ſolet, vbi lex non diſtinguit, neq; nos diſtinguere oportere. Quod tamen intelligendũ eſſe Bartolus ait, niſi lex indiſtinctè loquens diſtinguatur per aliã legē: atq; ita accipiendũ quod Papinianus ſcripſit in. l. quæſitũ. ff. de teſtib. vel niſi, vt apud Albericũ eſt, per rationē ipſius, vel alterius legis, diſpoſitio neceſſariò eſſet diſtinguenda. Nam, vt ait Pedius, quoties lege aliquid vnum*

vel

vel alterum introductũ eſt, bona occaſio eſt, & cætera, quæ tendunt ad eandem vtilitatem, vel interpretatione, vel certè iuriſdictione ſupplere. De qua re vltra .l. non eſt nouum, cum. l. ſeq. ff. de legib. tradit nõnulla Iaſo in .l. quãuis. ff. de in ius voc.

IIII. VLPIANVS *libro trigenſimo nono ad edictum.*

Præſes prouinciæ maius imperium in ea prouincia habet omnibus poſt principem.

Varia fuiſſe præſidum munera & priuilegia, ex eo patet, quòd omnium Romæ magiſtratuũ vice & officio fungebantur. Omnia enim prouincialia deſideria, quæ Romæ varios iudices habebant, ad officium præſidum pertinuiſſe, ſupra in .l. 2. probauimus. Ad hæc cùm non ſorte, vel à ſenatu, ſed à Cæſaribus conſtituerentur, eos Cæſares varijs ornamentis decorabant. Ius quoque prætorium præſides æquè atque præfectos præt. et proconſules accepiſſe, ſellaq; eadem, qua & illos ſediſſe, Cornelius Tacitus ſcribit. Et Caßiodorus lib. 6. variar. in formula rectoris prouinciæ, ait: Tuum nomen in ſubſcriptionibus iuſſerũt, honoratis prouincialibus anteferri. Quid de te æſtimatum ſit datur aduerti, cui tot videntur nobiles potuiſſe poſtponi. Additur, I

quòd

quòd à pricipe frater vocaris, vt nobilitate pretio-
2 *ſi nominis à vilitate criminum tollereris. Quòd ve-*
rò maius imperium in ſua prouincia habent omni-
bus poſt principem, ex eo prouenit, quia ſemper im-
perator, legatos ſuos, vel præſides in aliquã prouin-
ciam miſſos, conſulari poteſtate ornabat, vt Alcia-
tus ſcribit libro de magiſtratibus, quò maior vide-
licet eſſet eorũ auctoritas. Eſt aũt proconſulis illud
proprium, vt omnes ei in prouincia cedant, reliquis
omnibus poſt principẽ maiori, vt probatur in l. ſi in
aliquã. ff. de off. procõſ. Sed et inde, quãtũ fuerit in
prouincia procõſulis imperiũ, poteſt intelligi, quòd
vel Romani imperatores, initio imperij procõſula-
re iꝰ aſſumere ſolebãt, vt auguſtiores fierẽt, vt au-
ctor eſt Capitolinus in M. Cæſare, dũ ait: poſt hac
Fauſtinã duxit vxorem, & ſuſcepta filia, tribuni-
tia poteſtate donatus eſt, ac imperio extra vrbem
proconſulari. Et Lãpridius in Alexandro, accepit,
inquit, imperiũ Alexander, cùm ante Cæſar eſſet à
Senatu appellatꝰ, mortuo. ſ. Macrino, Auguſtũq;
nomẽ idẽ recepit, addito eo, vt et patris patriæ nomẽ
et ius ꝓcõſulare, et tribunitiã poteſtatẽ, et ius quin-
tæ relationis, deferẽte ſenatu, vno die aſſumeret.

V. VLPIANVS libro primo de omnibus tribunalibus.

Præ-

PRæſes prouinciæ nõ magis tutorẽ,quàm ſpecialem iudicem ipſeſe dare poteſt.

Liberorũ,quibus nihil iucundius,nihil charius
homini natura dedit,quàm ſit cõmunis cauſa, & 1
cõmune periculum,legum & blanda indulgentia, et exactiſsima diligentia ſatis oſtendit: quæ non ſolùm poſt cineres,et parentum iuſta,omnes vult ad filios fortunas peruenire, ſed liberis bona patria, voluntate patris,iure & legibus tradita,ne qua iniuria eripiantur,ſeueriſſimis legibus cauent. Vnde Diuus ſeuerus Cuſpio Rufino,in.l.diuus.ff.qui petant.tuto.reſcripſit, omnẽ me rationẽ adhibere ſubueniẽdi pupillis,cũ ad curã publicã pertineat,liquere omnibus volo. *Atq; hinc orta eſt magna illa tutellarũ,curationũ,teſtamentorũ,et reſtitutionũ ſylua,quæ totum ferè ius occupat: hincq; ſimiliter prouenit,quod ſæpe à iuriſcõſultis fieri videmus,magiſtratibus curã imponi, vt pupillis diligenter tutores dent, et cũ reliquis dãdorum mores inquirant. Neq;.n.facultates,neq; dignitas eſt ita ſufficiens ad fidẽ,vt bona electio,et benigni mores. Hinc etiã et illud,quòd vbi abſunt,qui tutores dare poſſũt,decuriones dare iubẽtur tutores,ne huiuſmodi caſibꝰ interueniẽtibꝰ minorũ res periclitẽtur.*

Ab

Ab hoc denique fonte noſtræ legis ratio deriuata eſt, quã tũc demũ examinabimus, cùm illud quod ab Vlpiano dicitur, quid ſignificet, viderimus.

2 Iudicem ſpecialem ſe dare. *Ego ſpecialem iudicem, delegatum, pedarium, vel arbitrum accipio, quaſi idem hac lege decernatur, quod in l. prætor. ff. de tuto. & curato. dat. ab his, ſancitum eſt.* Prætor, inquit, ipſe ſe tutorẽ dare non poteſt, ſicut nec pedaneus, nec compromiſſarius ex ſua ſentẽtia fieri poteſt. *Quod ſatis videtur veriſimile, vel ex eo quòd de prætore agat, de quo in l. fin. ff. de offi. præt. dicitur.* Prætor nec tutorem nec ſpecialem iudicem ipſe ſe dare poteſt. *Vt nihil ferè aliud, illa lege de tutoribus effici videatur, quàm exponere, ſpecialem iudicẽ ſe dare, idẽ eſſe quod pedarium iudicem, vel compromiſſariũ ſe conſtituere, de quibus poſtea dicemus. Quòd ſi ſic eſt idem in lege noſtra dicendum eſt, quando & hãc, & illam finalem de officio prætoris, eandẽ eſſe, & verbis ipſis, et ſuperſcriptione ſatis cõſtat. Sunt nanq; ab Vlpiano lib. 1. de omnibus tribunalibus, deſumpta. Pedanei verò iudices dicebantur primũ,*

3 *authore Coraſio in l. placet. C. de pedan. iud. quicunq; incerta cauſa dati, aut delegati, vt controuerſam*

uerſam litem agnoſcerent, & iudicarent, idemq́; Briſonius, & Hotomanus probauerunt. Deinde præſidis delegati quibus minores cauſæ committebantur, vt in l. fin. C. de peda. iudic, oſtenditur, dum ait, quædã ſunt negotia, in quibus ſuperfluũ eſt moderatorẽ expectari prouinciæ, ideoq; pedaneos iudices, hoc eſt, qui negotia homimiliora diſceptant, conſtituendi damus præſidibus poteſtatem. *Cur verò ita dicti ſint, prædicti tradiderunt, & Alci. Parerg. iur. lib. 1. c. 41. dicens. Arbitror ex curia, ſeu decurionum ordine, fuiſſe aliquos magiſtratus, qui cùm præſes pro tribunali cognoſceret, ipſi ad pedes aſtarent, & ex præſidis delegatione deinde cognoſcerent: & iterũ in l. ſi quis in cõſcribendo nu. 59. C. de pactis, aſſeſſores, inquit, qui prætori in conſilio erant, & ad pedes tribunalis aßidebant, ſi ex eius delegatione leuiores cauſas cognoſcebant, pedanei dicebantur. Meritò igitur in d. l. prætor. ff. de tuto. & cura. diſponitur, maiores magiſtratus non poſſe conſtituere ſe ipſos, ſui ipſorum delegatos, quandoquidem à delegato ad delegãtem appellare oportet. Quòd ſi ſe ipſos delegarent præſides, ab eis ad eoſdem appellare neceſſe eſſet, quod meritò prohibetur in. l.* 4

C eos

eos qui. C. de appella. & in auth. ſi quis litigantium
C de epiſ. aud. Atque hæc eadem ratio eſt, cur præ-
5 *tores, ſeu præſides compromiſſarios ſe non conſti-*
tuant. Ex eo ſcilicet quia cùm ab arbitrio iniquo
appellari poſſit, vt probatur in. l. fin. & ibi per Bar.
qui ſat. dare, cog. & plura de ea re Ang. & Ioan.
de Imol. in. l. fin. ff. à quib. appell. non licet, ſi quid à
compromiſſario iniquè decerneretur, ab eo ad ip-
ſum, quod nõ decet, eſſe appellandũ. Vnde illud eſt,
quod in. l. ſed et ſi. §. ſi quis iudex. ff. de recep. arb. di
citur. Si quis iudex ſit, arbitrium recipere eiuſ-
dem rei, de qua iudex eſt, in ſeue cõpromitti
iubere, prohibetur lege Iulia: *& in. l. non diſtin*
guemus. §. quæſitũ. ff. eod. tit. & puto verè, *inquit,*
non committi, ſi dicat ad iudicẽ de hoc eun-
dum, vel in ſe, vel in alium compromittendũ.
Quem tex. notat, & dicit notandum Roma. cõſ.
338. ad hoc, quòd iudex remittens partes ad arbi-
trium, dicitur negligens in adminiſtrauda iuſtitia.
6 *Quo fit, vt verè dixiſſe glo. credamus in. l. furti. §.*
qui iuſſu. ff. de ijs qui no. infam. iudicem ex officio
non poſſe compellere partes ad compromittẽdum.
Quod tamen intelligẽdum eſt, niſi diu litigaſſent:
tunc enim, vt in. c. placuit 90. diſ. dicitur, litigato-

res

res aßiduos, etiam non ſubditos, poteſt epiſcopus ad concordiam compellere. Quem text. ad hoc allegat glo. in. l. æquißimũ in prin. in parte, iuriſdictione. ff. de vſufructu, & commendat Barb. cõſ. 24. volu. 2. quod ego ex ſupra dictis intelligo, aßiduos ligatores poſſe iudicem cogere ad compromittendum, non tamen in ſe, argumento præd. l. ſed & ſi. §. ſi quis iudex. Nunc quare præſes, 7 *prætorue, tutores ſeſe dare non poſſint, cùm tot legibus oſtenderimus interdictum, ſequitur videamus huius rei cauſam. Glo. in. l. fin. ff. de offic. prætor, eſſe ait, quia cùm in tutella plus ſit oneris, quàm honoris, ſuſpectus, vt Coraſ. & Eguinarius aiunt præſumitur ſe ingerens, periculumq; eſt, ne in bona potiùs pupilli impetum facere, quàm illius afflictam fortunam tueri velit: quod verùm puto: nam & in. l. ſcire oportet. §. final. ff. de tuto. & curato. dat. ita ſcriptum reperio.* Semper autem maximè hoc obſeruent magiſtratus, non creare eos, qui volunt inijcere, vel ingerere ſe ipſos, vt creentur. *Quòd ſi vicinis, & agnatis prohibitum iure legimus, ne ſe ſe ingerant, vt tutores creentur, quantò minus id prætoribus licere credemus, quibus*

 pupillos,

pupillos, & pupillas certiſſimam eſſe prædam. C. Verres ſemper palã dictitabat. Minoribus enim parentum cura orbatis, magiſtratibus ipſis in prædam datis, quo illorum miſera ſolitudo firmo præſidio muneri poſſet? Quis eſt, qui tueri poſſet illorũ inermem pueritiam, contra magiſtratuum impro bitatem? meritò igitur in dicta l. ſcire oportet. §. eos ſtatutum eſt, ne eos, qui in legatione ſunt, creent tutores, vel curatores magiſtratus, quia ſecundũ tempus, quo in legatione ſunt, periculum ad eos nõ pertinet. Quo nomine. C. Verres à Cicerone lib. 3. reprehenditur, quòd cùm in comitatu Dolabellæ eſſet, & in demortui quæſtoris locum ſuffectus, pu pilli Malleoli tutelam per vim occupauerit, et ma le geſſerit. Vndè & ſecunda poſſet ad noſtrum tex. deduci ratio. Ex eo ſcilicet prohiberi præſidem ſe ipſum tutorem dare, ne ſi tutor expoſitam ſibi credens minoris ſpoliandam fortunam, manus nõ abſtinuerit, nullam rationem reddat, nec periculum vllum ad eum pertineat. Sed & tertiam quoq; rationem ex dictis ſuprà in. l. 2. deduci poſſe video; ſcilicet, ob id prætorem, ac præſidem non poſſe dare tutores ſe ipſos, non ſolùm quia pupillis inde timea tur, verùm quia cùm fere omnia, quæ ad eos perti

nent

*nent, per iudicem expediantur, & læſi ab illo reſti-
tuantur, & quæ in eorum commodum cedunt, ab
eodem, quo firmiora ſint, confirmentur: in quibus
cauſæ cognitio eſt neceſſaria, incompatibilia, vt di
citur, hæc duo videntur, vt perſonam et iudicis &
tutoris quis gerat. Vndè aliter etiam, quàm ſupra* 8
*dictum eſt, quod de ſpeciali iudice hic ponitur, in-
telligi poſſe conijcio, ſi & tutellam, & iudicium, ad
pupillos vtraq; referamus, vt ſit ſenſus. Prouinciæ
præſides, atque prætores, pupillis quibus conſulere
debent, neque tutores ſe dare poſſe, neque iudices
ſpeciales, quos, hoc ſenſu, eos intelligemus, quos vul
gus conſeruatores iudices vocat. Quem intelle-
ctũ cùm valdè literæ congruere non dubitem, op-
to ab eruditis admitti, ſuffragantur nanque ei om
nes ſupradictæ rationes. Quibus ſic expoſitis, illud* 9
*notare oportet, eum cui eligendi poteſtas data eſt,
ſe ipſum eligere non poſſe. Vndè illa ſunt, quæ Co-
ſtalius affert, collatorem, ſe in beneficio non inſti-
tuere, neque patronum ſe præſentare, neque ſe pa-
trem filio exemplariter ſubſtituere: atque hæc
omnia, quia quemadmodum cauſa efficiens, &
effectus naturaliter diuerſa ſunt, ſic & iure,
quod à natura deductum conſtat, in producendo*

Abb. Panormita. Illa verò pulchra ampliatio eſt, quæ huic rei aſſignari poteſt, id adeò verum eſſe, vt deſignati conſenſus numerum ſuffragiorum augeat, & electionem, aliàs numero tabellarum incertam, confirmet, vt text. ore omnium dictus ſingularis decernit, in. c. cum in iure de elect. dicens, Primus tuæ conſultationis articulus continebat, quòd cuiuſdam decano eccleſiæ defuncto, eiuſdem loci capitulum, ſub hac forma, in ſeptem ex ipſis canonicis compromiſſit: vt illum, quem ex ſe, vel alijs, de gremio ipſius eccleſiæ, omnes partier, vel maior eorum pars nominaret, idem capitulum reciperet in decanum. Vndè cum vnus ex illis ſeptem à tribus ipſorum, & alius, qui non erat de numero eorundem, à tribus alijs in decanum fuerint nominati, requiſiſti, vter eorum aſſumi debeat in decanum. Super quo, *inquit Innocen. 3.* taliter reſpondemus: quòd is qui de numero VII. à tribus eorum dignoſcitur nominatus iuxta compromiſsi tenorem debet in decanum aſſumi, dum modo electoni de ſe factæ conſentiat, & aliquod canonicum non obſiſtat.

Quod valdè notandum eſſe, & in ſummi etiam pontificis comitijs habere locum, Hoſtien. Panor. ac reliqui doctores affirmant. Vndè & illa deciditur quæſtio, quòd plures, quibus cõmiſſum eſt quicquam egenis diſtribuendum, poſſunt alicui ex ſe ipſis partem donare, ſi re vera inopia cognoſcatur

11 *ipſius. Quid aũt ſi vni tantùm diſtributio demandata ſit? Quid ille agere teneatur, varia eſt inter ſcribentes cõtrouerſia, poßit ne ſibi, filijſq; ſuis, aut conſanguineis, quicquam reſeruare: diuerſa diuerſis ſentientibus, in l. ſi mandauero. §. ſi tibi centum. ff. mand. & in c. fin. de teſtamen. lib. 6. & faciunt quæ notat, Abb. in. d. c. cum in iure de elect. Bald in l. ſi is cui. C. de furt. Calder. conſ. 31. & 39 tit. de teſtamen. Roma. conſ. 228. Ancharra. 280. & Soci. conſ. 11. in. 1. part. conſ. & Abb. Panormi. in c. 1. de cohab. cle. & mul. Ego verò admodum intereſſe arbitror, nota fuerit, nec ne teſtatori executoris inopia. Quis enim dubitet, ſi teſtator egenum, & neceßitate laborantem eum crederet, cui bonorum ſuorũ partitionem committit, ſubuenturum potiùs fuiſſe amico homini, & familiari, quàm alienis, prorſuſq; ignotis? Vndè ſi ipſe, vel eius filij, conſanguineiue, re vera indigeant, veriſimilius,*

& æquius

& æquius eſſe arbitror, poſſe ſibi ſubuenire, opemq́ ferre. Quòd ſi hoc ipſum teſtator reſciuerit, induſtria executoris vti velle, non tamen illius miſerijs ſuccurrere ſuſpicarer.

VI. VLPIANVS *libro primo opinionum.*

ILlicitas exactiones, & violẽtia factas, & extortas metu venditiones, & cautiones, vel ſine pretij numeratione prohibeat præſes prouinciæ. Item ne quis iniquum lucrum, aut damnum ſentiat, præſes prouinciæ prouideat.

Jllicitas exactiones eas Inno. et ibi glo. in c. cùm inſtantia, & glo. in c. venerabili, de cenſib. eſſe intelligũt, quæ vltra facultates, ſeu vires eorũ ſunt, quibus imponuntur. Id autem quãuis ſolummodo comprehendere videatur eos, qui cùm ſeruire teneantur, vrgentur à dominis vltra quàm commodè facere poſſunt, multò magis in illis idem diſpoſitum intelligimus, qui liberi omninò natura, lege, vel pacto ſunt. Vndè optimè Campanus ſcribit, non debere prætorem pati, donum, munus, operas imponi ei, qui ex cauſa fidei commiſſi manumittitur. Et Vlpianus ait, ſi quis hac lege emptus ſit, vt ma- 1

 numitta-

numittatur,& ex cōſtitutione Diui Marci peruenerit ad libertatem, operas ei impoſitas nullum effectum habere. Quod adeò verum eſt, vt ſi quis pro eo qui libertus non eſſet,& operas ſe præſtaturum iuraſſet, fideiuſſor acceſſerit, non teneatur, vt egregiè docet text. in. l. ſi quis pro eo. ff.
2 *de fideiuſſ. Ex quo à Bart. & reliqua doctorum, turba illa notiſſima elicitur communis concluſio. Iuramentum non eſſe formam inducendæ obligationis in ingenuo, ideo non poſſe ei accedere fideiuſſorem. Quia verò hæc mihi non ita indiſtinctè probatur ſententia, conſiderandum attentè arbitror, in illa diſpoſitione, non dici ſimpliciter iuramentum in libero homine obligationem non inducere, ſed de promiſſione operarum principaliter agi. Scribentes autem non conſiderando ſingula verba legis, argumento ab ſpeciali, quod aliàs in iure firmum eſt, vtentes, ſpeciale in liberto eſſe, vt ſi præſtaturum ſe operas promiſerit, obligetur, et pro eo fideiuſſor adhibitus teneatur, aiunt:& à cōtrario ſenſu, ſi alius quàm libertus iuret, non obligari autumāt, nec pro eo quidem, qui fideiuſſerit.*
1 *Idq; apertè probari in. l. vt iuriſiurandi. ff. de operis libertorū contendūt. Cuius ſunt verba:* vt iuriſiu

randi

randi contrahantur obligatio, libertum opor tet eſſe qui iuret, & libertatis cauſa iurare. *Ad id etiam citat. Bar. text. in l. fin ff. de libe. cauſ. vbi dicitur*, licet dubitatũ antea fuerit, vtrũ ſeruus dũtaxat, an libertus iureiurãdo patrono obli garetur in his, quę libertatis cauſa imponũtur tamen verius eſt non aliter, quàm liberũ obli gari. *Eſt ergo concluſio omnium quòd de iure ciuili ex iuramẽto promiſſorio de futuro, nõ oritur ciuilis, nec naturalis obligatio, per ſupra dicta. Quòniam ſi obligatio naturalis ſaltem, ex tali iuramento ori retur, poſſet accedere fideiuſſor, & obligari: vt in l. 1. ff. de fideiuſſ. Contra iſtam tamen communem ſcribentium ſententiam plurima ſunt quæ in medium proferri poſſent. Illud autem in primis, quòd quando aliquid tendit principaliter, & directò ad aliquem finem, debet potius operari illum finem, quàm actus, qui immediatè tendit ad hoc. Sed ex iuramento deciſiuo litis oritur obligatio, & actio, vt per totum titul. ff. de iure iur. & in. l. actori. C. de rebus cred. vbi ſic actori delato, vel relato iureiurando, ſi iurauerit, vel ei remiſſum ſit ſacramẽtum, ad ſimilitudinẽ iudicati, in factum actio cõpetit, et tamen iſtud iuramentum, litis deciſiuũ tendit*

princi-

principaliter ad dedicendam litem, non ad producendum obligationem, & actionem. Quantò ergò magis iuramentum de futuro promiſſorium, quod tendit principaliter ad producendam obligationē. Nec quadrat quod huic argumento à quibuſdam reſpondetur, quod iuramentum deciſiuum habet vim confeſſionis iudicialis. l. qui iuraſſe. §. fin. ff. de iure iur. & ex confeſſione iudiciali oritur actio, & obligatio. l. certum in fin. ff. de confeſ. item iuramentum deciſiuum habet vim ſententiæ. l. & ſi poſſeſſori. §. fin. eo tit. de iure iur. ex ſententia aūt oritur actio, ergo eodem modo ex deciſiuo iuramēto: quæ omnia non habent locū in iuramento promiſſorio. Sed iſta reſponſio non vſquequaq; ſufficit, oporteret ſiquidem rationem proferre diſcriminis, cur magis iuramentum deciſiuum æquiparetur ſententiæ, & confeſſioni, quàm promiſſorium ſtipulationi: & cùm tanta ſit vis iuramenti in illo caſu, cur non eadem in iſto? quinimo ex iuramento quoque promiſſorio oriri obligationem, & actionem, videtur probari in l. ſi duo patroni in fin. ff. de iure iur. Vbi lex loquitur de eo, qui iurauit ſoluere intra certum tempus, vel diem, qui non adimplens grauiter punitur, ac fuſtibus ceditur, & ſecundùm

hanc

hanc partem apertè iudicare videtur tex. in auth. ſacramenta puberum. C. ſi adu. vendi. Ubi iuramentum firmat, & roborat contractum aliàs prohibitum, & inualidum, taliter quòd iurans, quanuis minor obligatur; vt dubitare nemo iam poßit, iuramento ſuper re non inhoneſta interpoſito, obligationem oriri. Quorum aduerſariorum timore Bart. & alij. dd. pluribus in locis diſtinguũt, dicentes triplex eſſe iuramentum, deciſorium, confirmatorium, & obligatorium. Sed profectò reuoluuntur eòdem, & aqua (vt dicitur) hæret, quandoquidem ſi authoribus Imol. & Card. in. c. cũ veniſſent de iniſt. iuramentum eſt quædam aſſeueratio, ſeu aſſertio affirmatiua, vel negatiua, addens vinculum religionis ſimplici aſſertioni, quod idem probatur in cap. etſi Chriſtus de iure iur. iam ex his liquidò conſtat, iuramentum de per ſe, & principaliter nõ conſiderari, ſed venire ſemper acceſſoriè, & præſtari ad confirmationem principalis: omneq; iuramentum eſſe confirmatorium ſimplicis aſſertionis, prout in definitione dicitur. Nec remanet vlla diuerſitatis ratio, quare magis appelletur confirmatorium, quod in auth. ſacramenta puberum adhibetur iuſiurandum, quàm in. l. ſi quis pro eo,

cùm vtrobique præſtetur ad cõfirmandum. Nam cùm Bart. in. d. l. ſi quis pro eo, vult ibi iuramentum non continere pactum, quia ſi contineret, induceret obligationem, ludit: quî enim fieri poteſt, vt iuramentum de futuro promiſſorium ab ipſa promiſſione diſtinguatur? Nonne idem verbum & rei naturam, & dictionis proprietatẽ oſtendit? mea igitur de re hac coniectura hæc eſt. Quãdoquidem niſi ipſis promittentibus liberti operas patronis ſoluere non compellebantur, vt in. l. operas. ff. de oper. libet. hanc operarum promiſſionem ſtipulatione aliquando, aliquando iuramento libertos ſolitos cõfirmare: itaque in hoc negotio ſtipulatio, & iuramẽtum æquiparantur. In quam me ſententiam facilè ducunt. l. 3. & . 5. de oper. liberto. vbi expreſſè de ſtipulatione agitur. Rurſus in dicta. l. vt iuriſiurãdi, & in. l. ſi quis pro eo, et in. l. vlt. de liberali cauſ. de iuramento operarũ promiſſorio diſſeritur. Nec obſtat ſi quis dicat quòd libertus cùm naturaliter teneatur patrono ad operas, vt in. l. ſi non ſortem. §. libertus de condi. indebi. ſufficit ſi per nudam promiſſionem polliceatur. Quia hoc non inuenio, nec admittitur in iure, vt duæ obligationes naturales inducant vnam ciuilem, iuxta no-

tata

tata per doctores in Rub. de ver. obli. & in. l. 1. ff. de cõſ. pecun. Nec ſimiliter quod omnes aſſerũt, hãc iuſiurandi obligationem, ſpecialem eſſe in liberto, quia in hoc (bona venia dixerim) cogor ab omnibus diſſentire, ſiquidem non conſiſtit illud ſpeciale in obligatione iuramenti, ſed in promiſſione potius operarum. Nec vult dicere text. in. l. iuſiurandi. ff. de oper. liber. quòd alius, quàm libertus iureiurando non obligetur, ſimpliciter intelligendo, quia hoc eſſet omnino ineptum. Nam quæ maior ratio in liberto, quàm in alio? Seruorum ne genus religioſius? aut minus fortaſſis liberorum pietatis vinculum, quàm libertorum? Intelligendum eſt, ibi decerni, alium à liberto, ſi iuret præſtare operas, non teneri, vt ſpeciale in promiſſione operarum, non in obligatione iuramenti conſiſtat. Quod idem eſt in ſtipulatione, vt eadem ſit ratio ſi dicas, vt ſtipulationis obligatio contrahatur, liberum oportere eſſe, qui promittit. Ad operas nanque de quibus ſermo eſt, illud referre conuenit, vt expreſſè in. l. operæ. ff. de oper. liber. probatur: quæ apertè docet, operas illas ab alio, quàm à liberto deberi non poſſe, nec alij quàm patrono præſtari. Nã operarum

de

de quibus,nunc diſſerimus, cōmercium non eſt penes alium,quàm penes libertum, & patronū.Cùm autem quis aliquid,quod dari non poteſt , ſtipulátur,vel cuius rei commercium penes ſtipulatorem non ſit,non oritur ciuilis,nec naturalis obligatio,vt in.l 1.§.ſi id quod.ff.de act.& oblig.et latè per Bar. in.l.1.ff.de noua. Sed de his hactenus, Lōgius enim
3 *me prouexit oratio,quàm vellem. Ad illicitas exactiones,quæ huius diſputationis anſam nobis dedere,redeamus. De quibus inſignia ſunt profectò apud Ciceronem exempla,quale illud eſt. Quid ergo? à Tiſſenſibus perparua, & tenui ciuitate, & aratoribus laborioſiſsimis, frugaliſſimiſq; hominibus,nonne plus lucri nomine eripitur,quàm quantum frumenti omnino exararant? Et illud:quid Ameſtratini miſeri? impoſitis ita magnis decumis, vt ipſis reliqui nihil fieret, non ne tamen numerare pecunias coacti ſunt? Necnon & illud:Diocles eſt Panormitanus,Phimes cognomine,homo illuſtris,ac nobilis arator. Is agrum in Segeſtano (nam commercium in eo agro Panormitanis eſt) conductum habebat, HS ſex millibus. Pro decuma cùm pulſatus à Venerio eſſet,dedit HS ſex decem millia,& DCLIIII.quæ omnia orator reprehendit*

lib.

lib. 5. in Verrem, ubi rei frumentariæ actio cõtinetur. Præterea ex hac lege duo notat Bald. quæ vt 4
potè quotidiana, & utilia referre operæpretiũ duxi. Primùm quòd confeſſus ſpe futuræ numerationis, licet poſt biennium, vt latè docet Felin. in c. ſi cautio col. 13. num. 54. de fid. inſtru. non poßit excipere: poßit tamen argumento huius legis officium iudicis implorare, & ex hac cauſa ſibi ſubueniri poſtulare. Alterum, quòd idem ſit, authore Odofredo, quanuis exceptioni non numeratæ pecuniæ renuntiauerit, quod eſt valdè notandum, quãuis id Alb. verum non exiſtimet. Illud quoq; hoc loco ab interpretibus diſputatur, an noua diſpoſitio, præterita quoq; negotia cõprehendat. Quod multis primùm adhibitis diſtinctionibus, tandẽ omnes negãt, argu. vulgatæ regulæ in. l. leges. C. de legib. vbi Imperatores Theodoſius & Valenti. Ciro præf. præto. reſcripſerũt, leges & cõſtitutiones futuris certũ eſt dare formã negotijs, nõ ad facta præterita reuocari: *& in. c. cognoſcentes de cõſtitu. dicitur,* quoties nouum quid ſtatuitur, ita ſolet futuris formam imponere, vt diſpendijs præterita nõ commẽdet. *Quam regulam multipliciter intelligit, ampliat, & limitat Felin. in. c. fin. eod.*

titu.de conſti. Quibus addi & illud poteſt, quod æquiſſimè à Cicerone dicitur acti. 3. in Verrem: in lege (inquit) Voconia non eſt, fecit, ſecerit: neq; in ulla præteritum tẽpus reprehenditur, niſi eius rei, quæ ſua ſponte ſcelerata ac nefaria eſt: ut etiam ſi lex non eſſet, magnopere uitanda fuerit. Quod ego arbitror inſignem eſſe, ad prædictam regulam, limitationem, eò magis notandam, quòd loquatur in re magis dubitabili. Pœnarum enim rationem reſtringi potiùs, quàm ampliari debere, ſæpe à iuriſconſultis cautum eſt. Res autem natura propria ſcelerata, & nefaria efficit, ut uel poſtmodũ ſancitis legibus uindicetur. Æquiſſimè certè iudicio meo, quandoquidem id in quo peccatum eſt, non ſolum metu pœnæ, ſed ſui potiùs iniqua, et odio digna natura, uitandũ erat. Quod cõfirmari, ac declarari poteſt, ex traditis per Bart. in. l. omnes populi. ff. de iuſt. & iur. quẽ doctores Cæſarei, ac pontificij iuris ſequuntur: dum ait, quòd ubi conſtitutio noua imponit pœnam alicuius criminis, ei ſatis conuenientem, congruentemq;, comprehendit eos quoq;, qui ante ſancitam legem peccauerunt. Quod uerum eſſe affirmant, etiam antiqua lege exiſtente, quæ non ita debitè in illa peccata animaduertat. Quamrem dupliciter

pliciter intelligit Felin. in. d.c.fin.numer.14. Primò in pœna, quæ augetur, vel minuitur ex cauſa, vbi tempus ſententiæ, non delicti inſpiciendum docet. Deinde in pœna imponenda per ſententiam: ſecus ſi in pœnam ipſo facto incideretur, quod ipſe quàmplurimis comprobat argumentis. Sed nunquid hæc, de quibus in. l. noſtra, mero iudicis officio, an potius iure actionis expediantur, plerique ſcribentium dubitant. Glo. hic & in. d. c. cum inſtantia, & inibi Inno. de cenſib. videntur ſignificare, munus id iniunctum iudicibus eſſe, vt vel nullo poſtulante, ab Vlpiano hoc loco propoſita, officio & iuriſdictione ſua prohibeant, & impediant. Albericus verò dupliciter diſtinguit. Primò ſecundùm Iacob. Butri. quòd ante quàm fiant, iudicis officio prædicta impediantur: facta tamen, remedijs à iure proditis, quæ dolo, metúue illicitè geſta, vel exacta erunt, reſcindantur: in quam ſententiam it quoque Peruſ. Bald. Sed & aliter ille de Roſat. diſtinguit, dicens quòd ſi violentia, vel oppreßio eſt notoria, mero iudicis officio procedatur: quia in notorijs is potißimus ordo eſt, nullum ſeruare ordinem. In criminibus autem non manifeſtis,

6

ius actionis, & legitimam iudiciorum formã, ſeruandam ad vnguem cenſet.

§. 1. Veritas rerum erroribus geſtarum nõ vitiatur. Et ideo præſes prouinciæ id ſequatur, quod conuenit eum ex fide eorum, quę probabuntur.

1 *Verum ſenſum huius. §. eſſe putat Antonius Vacca, debere præſidem iudicando, negotiorum veritatem ſequi, non ſi quid perperam à partibus ſcriptum, dictum, geſtum, aut factum ſit, errorem ad calumniam & perniciem cuiuſquam trahere: ſic tamen vt fides veri conſtet, onus autem probandi ei incumbat, qui errorem ineſſe ait. Coraſius quoq; cùm Vlpianus, inquit, §. præcedenti, venditiones, exactiones, & cautiones, vi, dolo, metúue fieri prohibuiſſet: nunc ſubiunxit, ſi ita facta reperiantur, rei veritatem errore geſtorũ non interire; ſed plus valere, quod re vera probabitur geſtũ, quàm quod per fraudem ſimulatè conſcriptum, aut aliter conceptum erit. In eadem ſententia eſt Eguinarius dicens: licet cauerim debere me pecuniã, quaſi mutuam, ſi rei veritatem probauero apud præſidem, non errorem meum in gerendo, cauendoq;, ſed veritatem probatã ſequetur: veritas enim erroribus*

eorum,

eorum,qui quid geſſerunt,nõ vitiatur,ſed eadem permanet:quē ſenſum ſequutus eſt Couarrubias, & Oroſcius ait,hoc.§.allegationes,& probationes erroribus geſtorum præferuntur,non veritati:quo rum ego ſentētiam veram puto. Itaq; quæſtio illa 2 *ſubdifficilis, quæ hac occaſione diſputari ſolet, an iudex debeat iudicare,ſecūdùm allegata,et proba ta,an ſecundùm cõſcientiam, quæ nulla vnquam clamoribus eſt habita maioribus,ad hunc locū non valdè videtur pertinere. Neq; verò quid de ea ſen* 3 *tirem,reticerem,niſi tecum agerem optimè præſes, quem cū tuo ampliſſimo collegio,extra hanc aleā, Guido papæ.q.29.Alci.c.1.de offic.ordin. Petrus Coſtalius,& Ioan.Oroſcius,quibus libenter aſſen tior,poſuerunt:aſſerentes ſupremi conſilij ſenato- res,prætermiſſis allegationibus, & probationibus, poſſe ſecundùm ſuam conſcientiam iudicare:quod quidem maximā rationem habet. De illa autem diſputatione,tam ſunt,quæcunque dici poſſunt,ab Didaco Couarrubias lib.1.variarum reſolu. c. 1. Dominico Soto lib.5.de iuſt.& iur.q.4.art.2. & Oroſcio in huius legis interpretatione,copioſe & grauiter diſputata,vt nihil à me eū, qui illos euol- uerit,deſideraturum putem.*

§.2.Ne potẽtiores viri humiliores iniurijs adficiant, néue defenſores eorum calumnioſis criminibus inſectẽtur innocentes, ad religionem præſidis prouinciæ pertinet.

Ijs qui reipub. præfuturi ſunt, duo præcepta
1 *Plato tenenda docet. Vnum, vt vtilitatem ciuium ſic tueantur, vt quidquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum. Alterum vt totum corpus reip. curent, nedum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant. Hæc, vt pote ſine quibus ciuitas ſtare non poßit, adeò à legumlatoribus magiſtratibus commendãtur, vt ferè omnia quæ hoc primo ff. lib. cõtinẽtur, ad hæc duo referri poßint. Hinc eſt quòd aliquãdo ita ſe gerere magiſtratus iubentur, vt ſua conſilia optimatibus, & principibus probentur. Sæpè ita illis populares commendantur, vt quæ faciũt, quæq; dicunt multitudini iucunda eſſe neceſſe ſit. Atq; huius partis maior incumbit gubernantibus cura: cũ enim in rep. nihil tã diſtet, quàm ius, atq; vis, horum altero vti nolumus, altero eſt vtendum. Iudicia ſi diſplicent, ſi nulla ſunt, vis dominetur, neceſſe eſt: quæ cùm ab optimatibus maximè impendat, illorum vires extinguere neceſſe eſt, vt ius valeat, id eſt, iudicia, quibus omne ius continetur*

netur. Atq; hanc cauſam eſſe arbitror, cur popula res potiùs à legibus informentur iudices: vt ſcilicet vim depellāt, & ne inopia à gratioſa audacia vin catur: & hoc illud eſt, quod in l. necquicquā. §. fin. ff. de off. procō. Vlpianus ait. Cęterū opprimi ali quē per aduerſarij ſui potentiam nō oportet. Hoc. n. etiā ad inuidiā eius, qui prouinciæ præ eſt, ſpectat, ſi quis tam potēter ſe gerat, vt oēs metuant aduerſus eū aduocationē ſuſcipere. *Sunt aūt huius generis in iure ciuili innumera, quæ humilitatē, ſolitudinē, et inopiā, aduerſus potentio rū cōſiliū, gratiā, et vim cōſolantur: quod maximè fieri neceſſe eſt. Solent. n. nobiles homines, ſeu rectè, ſeu perperā facere cæperūt, ita in vtroq; excellere, vt ne inferiori loco natus, aſſequi vllo modo valeat: cùm potius quo plus ꝓpter virtutē, nobilitatēq; poſ ſūnt, eo minus quātū poſſet, deberēt oſtēdere. Quæ principia rerū minimè decet magiſtratus neglige re. Nec expectandū, vt vel inferiores ad extremū neceſſitate excitati, vim vi depellant, et audaciam virtute vincant, vel maiores cunctatione, ac tardi tate magiſtratuū, eā ſibi licentiā vindicēt, vt reme dia iā pati nō poſſint, neq; eo cōtenti, quod probari omnibꝰ poſſit, ſine iniuria potentiā, leuē, atq; inopē,*

eſſe arbitrentur. Ideoq; ad religionem præſidis prouinciæ pertinere, Vlpianus ait, ne potētiores viri humiliores iniurijs afficiant, néue defenſores eorum
2 *calūnioſis criminibus inſectētur innocentes. Quid autē ſignificet hoc loco, defenſores, & ad quos hæc defenſio referatur? Coraſius et Eguinarius ad cliētelas, & patrocinia à Romulo, vt ex Dionyſio cōſtat, inſtituta, pertinere hæc aiunt. Solebant enim humiliores, ideſt, ignobiles, pauperes, & inferioris cōditionis viri, ſeſe in fidem, tutellā, & patrociniū potentiorum dare, vt ſe ipſos ab aliorū iniurijs tuerentur. Vndē & hi clientes, quaſi colentes, & illi patroni, quaſi patres dicti ſunt. Addit quoq; Coraſ. in more fuiſſe veteribus, vt quiſq; populus, ac quæque natio, populo Romano confœderata, Romæ ſuum haberet, vnum ex proceribus patronū. Quem morē quodammodo perſeuerare adhuc video, habēt enim tum vnaquæq; natio, tum etiam ſingulæ eccleſiarum cathedraliū, Romæ ſingulos è reuerendiſſimis cardinalibus, per quos apud ſummum pontificem agant ſua negotia: qui illius nationis, vel eccleſiæ, cuius partibus fauēt, protectores dicuntur. Ego Vlpiani verba dupliciter intelligi poſſe cenſeo. Primūm ſi de defenſoribus plebis, & inferiorum accipiantur,*

piantur, quaſi dicat, cauendum eſſe præſidi, nõ ſolùm ne inferioris ſortis homines à viris potentioribus opprimantur: ſed & illud, ne innocentes defenſores humiliũ, ab eiſdem potentioribus malè mulctentur, et offendantur. Erãt enim minores quidã magiſtratus, qui parentum vices plebi exhibeant, maximèq; curabant, ne innocens, & ſubdita ruſticitas prægrauaretur, vt dicitur in auth. de defenſ. ciuita. colla. 3. Deligebantur aũt hi nõ ex decurionibus, ſed ex ipſa plebe, quibus nec ius mulctandi erat, neq; authoritatem emancipationibus interponere poterant, ſed id tantùm agebant, ne tenuiores, & infimi, à nobilibus læderentur. Vel aliter, & hoc mihi multò ſit vero ſimilius, vt ſenſus ſit: ad religionem præſidis prouinciæ pertinere, ne potentiores viri humiliores iniurijs afficiant, néue defenſores eorum, potẽtiorum ſcilicet, calumnioſis criminibus inſectentur innocẽtes homines: id ita eſſe duobus locis Ciceronis credere vel inuitus cogor. Is in Orat. pro P. Quintio, in exordio ita ait: habet aduerſariũ P. Quintius, verbo Sex Næuium, re vera huiuſce ætatis homines diſſertiſsimos, fortiſsimos, ornatiſsimos noſtræ ciuitatis, qui cõmuni ſtudio, ſummis opibus Sex Næuium defendunt: ſi id eſt defen-

dere; cupiditati alterius obtemperare, quò is faciliùs quem vellit, iniquo iudicio opprimere poſsit: et in Orat. pro P. Sextio, ita apertè, vt iam amplius dubitandi locus nullus relinquatur. Horum, inquit Cicero, qui voluntati, commodis, opinioni in gubernanda repub ſeruiunt, defenſores optimatũ, ipſiq; optimates grauiſſimi, & clariſſimi ciues nominantur, & principes ciuitatis.

3 Religionem, *officium, curã, & ſolicitudinem ſignificare Coraſius & Oroſcius rectè ſcribunt, & id Iunianus Maius, & Budæus, laudatis optimis*
4 *authoribus probauerunt. Huius autem occaſione ſententiæ, illud omnium interpretũ calculo conſtitutum eſt, eum qui ſibi ab altero timeat, poſſe officiũ iudicis implorare, vt illum compellat præſtare cautionẽ de non offendendo: de quà re ſatis multa hoc loco Bart. Albericus, & Oroſ. Bart. in. l. ſanctum de rerum diuiſ. Iaſ. in. l. ſi de poſſeſſione. C. de tranſact. & Felin. in rub. de tregua & pace. vbi plures citat authores de eadem re diſerentes. Eſt autem hæc (niſi fallor) totius diſputationis ſumma. Si quis malum ab altero imminere ſibi meritò vereatur, quanquam ipſe occaſionem dederit, poteſt ſibi, & amicis legitimum præſidium, ab officio iudicis implorare,*

plorare, & quo tutior ſit, vt ſocijs, miniſtriſq; armatis ſtipatus incedat impetrare, modo eos ſuo ſumptu alat. Iudex verò cauſa cognita, nõ ſuæ prouinciæ tantùm homines, ſed & alienigenas, & extraneos, ſi in prouincia moram cõtraxerint, non aliàs, ſecuritatem præſtare nuda cautione, aut cum fideiuſſoribus, & pro tempore, quod ſibi videbitur, ſuo arbitrio cõpellet, pro ſe, & familiaribus, & cõplicibus, ex Bartoli & communi ſcriptorũ ſententia. Quanquã quòd ad familiares, et cõplices attinet, Ripæ in rub. ff. de dam. infe. Paul. pariſ. cõſilio 168. & quibuſdã amicis meis, quos in iuriſprudentia valdè profeciſſe ſcio, video nõ placere: quorum ego, & ſi authoritatẽ magnifacio, tamen à cõmuni opinione non recedo, eoq; iure vtimur. Quòd ſi præſtitam ſemel ſecuritatem, vel in eodem loco vbi data eſt, vel alio, etiã extra territorium, quis violauerit: ſi aduerſus regiam tuitionis formulam commiſerit, maieſtatis læſæ cenſetur reus: ſi vero ab inferiore magiſtratu illa concepta ſit, delicti pœna ſit grauior.

§. 3. Illicita miniſteria ſub prætextu adiuuantium militares viros, ad concutiendos homines procedentia prohibere, & deprehenſa

coercere præſes prouinciæ curet, & ſub ſpecie tributorum illicitas exactiones fieri prohibeat.

1 Illicita miniſteria, *Ideſt miniſtros, Accurſius, Eguinarius, Oroſcius, & Cruceus interpretãtur. Coraſius, illicitos hominum conuentus & congregationes. Vacca,* militares viros, *exequutores & birros intelligit:* illicita miniſteria, *eos, quos illi ſecum ducunt, & exploratores. Verùm horum mihi commenta non ſatiſfaciunt, ſi qualia hæc ſint, vt arbitror, intelligo: vni Ciceroni acceptum refero, qui me docuit, prouinciales quoſdam, maximè publicanos, qui in prouincijs negociabantur, ſolitos eſſe à proconſulibus, prætoribus, ac præſidibus, præfecturas quaſdam militum impetrare: non tam vt reip. in diſciplina militari inſeruirent, quàm vt proprijs commodis, & vtilitatibus ſeruirent. Harum nanque præfecturarum prætextu, quoquo iure, quaque iniuria pecunias, vel cum anatociſmo anniuerſario, & quaternis centeſimis extorquebant, & ſub ſpecie tributorum, illicitas exactiones faciebant. Hæc quanta cura, ac diligentia prohibere præſidem oporteat, & deprehenſa coercere, egregiè oſtendit lib. 5. ad Atticũ epiſt. 21. dicens,*

dicens, familiares habet Brutus tuus quoſdã creditores Salaminiorum, ex Cypro M. Scaptium, & P. Matinium, quos mihi maiorem in modum commendauit. Matinium non noui. Scaptius ad me in caſtra venit: pollicitus ſum curaturum me Bruti cauſa, vt ei Salaminij pecuniam ſoluerent: egit gratias: præfecturã petiuit: negaui me cuiquã negocianti dare. Quod idem tibi oſtenderam, Cn. Pompeio petenti probaram inſtitutum meũ: quid dicam Torquato in Lenio tuo? multis alijs? ſi præfectus vellet eſſe ſyngraphæ cauſa, me curaturum, vt exigeret, gratias egit, diſceßit. Appius noſter turmas aliquot equitum dederat huic Scaptio, per quas Salaminios coerceret, et eundem habuerat præfectum, vexabat Salaminios. Ego equites ex Cypro decedere iußi: moleſtè tulit Scaptius. Et iterum lib. 6. ad Atticum epiſt. 1. Atque hoc tempore ipſo, inquit, impingit mihi epiſtolam Scaptius Bruti, rem illam ſuo periculo eſſe: quod nec mihi Brutus dixerat, nec tibi: etiam, vt præfecturã Scaptio deferrem. Id verò per te exceperamus, ne negotiatori: quòd ſi cuipiã, huic tamen non: fuerat enim præfectus Appio, & quidẽ habuerat turmas equitum, quibus incluſum in curia ſenatum Salamine obſederat,

obſederat, vt fame ſenatores quinque morerentur. Itaque ego quo die tetigi prouinciam, cùm mihi Cyprij legati Epheſum obuiam veniſſent, literas miſi, vt equites ſtatim ex inſula decederent. Quibus exemplis oſtenditur, quænam accipere debeamus hoc capite illicita miniſteria, & qualiter eis iniquè, & crudeliter homines, non ſolum concutiātur, verùm & fame necentur: et quomodo hæc à Cicerone continentiſſimo, & iuſtiſſimo proconſule fuerint prohibita, & deprehenſa correcta. Illi-
2 *citas quoque exactiones, quæ ſub tributorum fiebāt ſpecie, à ſe ꝓhibitas docet in d. epiſt. 1. de Appio prædeceſſore agens. Quid enim, inquit, poteſt eſſe tam diſſimile, quàm illo imperante exhauſtā eſſe ſumptibus, & iacturis prouinciam: nobis eam obtinentibus numum nullum eſſe erogatum, nec priuatim, nec publicè? Quid dicam de illius præfectis, comitibus, legatis? etiam de rapinis? de libidinibus? de contumelijs? ſed & apertius ad Atticum lib. 5 epiſt. 16. maxima expectatione, ait, in perditam, et planè euerſam in perpetuum prouinciam nos veniſſe ſcito prid. calen. ſext. moratus triduum Laodiceæ, triduum Apameæ: totidem dies Synnade, Audiuimus nihil aliud, niſi imperata* ἐπικεφάλια *ſolue*
re

re non poſſe, poſſeßiones omnium venditas, ciuitatum gemitus, ploratus.

§. 4. Neque licita negotiatione aliquos prohiberi, neqne prohibita exerceri, neque innocẽtibus pænas irrogari, ad ſollicitudinẽ ſuam præſes prouinciæ reuocet.

Cum iure gentium emptiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes instituta ſint, iniquum eſt quenquam, licita negotiatione prohiberi. Quòd ſi quis prohibeatur, poſſe illum aduerſus prohibentem actione iniuriarum agere, ſcriptum eſt in. l. 2. §. ſi quis in mari. ff. ne quid in loco publ. & in. l. iniuriarum actio. §. ſi quis me prohibeat ff. de iniur. Similiterq́, eadem actione teneri eum, qui vel ante proprias ædes quenquam piſcari prohibet, dicitur in. d. l. iniuriarum. §. ſi quem tamen. Ex eo nempe quia vt in. §. riparum & in. §. litorum inſtit. de rerum diuiſione. Imperator ſcribit. Litorum quoq; vſus publicus eſt, & iuris gentium ſicut ipſius maris. *Vndè naues ad portus & litora applicare, funes arboribus ibi natis religare, onus aliquod in his imponere, cuilibet librum eſt: vt diſponitur in. l. riparum, & in. l. quadam, & . l. nemo. ff. de rerum diuiſ.* I

diuiſ.& in.l.ergo.§.fin.ff.de adq.rerum domin.&
2 *in.l. 2.ff.ne quid in loco publ. Hinc illud eſt, quòd ſpecies quadã ſeruitutis videtur, ſine crimine ſuo, vel aliorum prohiberi quenquam, in quocũq; vult loco negotiari vt in.l.1.& 2.ff.de lib.homi.exhib.et in.l.Titia.§.Titio.ff.dec ond.& demõſtra. Nec nõ & illud, quòd patronum libertum ſuum licita negotiatione prohibere non poſſe, docemur in.l.2.& in in.l.quaro.ff.de iur.patrona.* Quæro, *inquit I. C.* an libertus prohiberi poſsit à patrono in eadem colonia, in qua ipſe negotiatur, idem genus negotij exercere? Scæuola reſpondit, nõ poſſe prohiberi. *facit.l.ſi defunctus. C. arbi. tutel.&.l.moris.§.ſunt autem.ff.de pænis &.l.fin.ff. de obſeq.libert. Quorum omnium eſt ratio, quia cùm licitam negotiationem ius gentium cõcedat, nemo iure gentium inferior eam prohibere poteſt. Vndè à quibuſdam dicitur, nõ oportere principem ſine cauſa, liberam facultatem ſubditis negotiandi adimere: nam vt ait Bald.in.c.1.§.fin.qui feud. dare poſ.potentius eſt ius gentium, quàm imperator: & idem Bald.in.c.1.in principio de natu.feud. licet, inquit, ſubiecerit Deus leges Imperatori, nõ*
3 *tamen ſubiecit ea, quæ ſunt de iure gentium. Neq; obſtat*

obſtat quod à quibuſdam opponitur, emptionem, & venditionem perfici non poſſe abſq; numerata pecunia, vt in. §. pretium inſt. de emp. & vẽdi. quæ quidem pecunia cùm de iure ciuili ſit, neque ſine authoritate principis cudi poſsit, vt in. l. 1. & ibi Bart. C. de veter. numiſmat. poteſtat. lib. 11. emptionem & venditionem iuriſquoq; ciuilis eſſe, videtur dicendum: quandoquidem cum aliquid addimus, vel detrahimus iuri naturali, vel gentium, noſtrum ius, ideſt ciuile, efficimus, vt ſuprà probatum eſt. Verùm hoc argumentum multis de cauſis non obſtat. Primò quia quanuis daremus hos contractus eſſe de iure ciuili, non facilè probatur inde, abſque cauſa poſſe à principe tolli. Deinde conſenſus principis in cudenda pecunia, nõ ea additio, vel detractio eſt, quæ ſubſtantiam iuris gentium mutare poſsit. Nam quemadmodum bellũ, quãuis indici non poſsit niſi à principe, tamen iure gentium introductum nemo negat, & in emptione, ſeu venditione facta à minore, aſſenſus tutoris requiritur, verùm à iure gentium deſcendiſſe probat iuriſconſultus: ita & de re quam agimus dicendum eſt. Vndè neque illud obſtat, quod quanuis conſenſus ſit de iure gentium, tamen cùm pecunia ſit de iure
 ciuili,

ciuili, attendẽdam eſſe formam potius videbatur, quæ dat eſſe rei, vt in l. Julianus. §. ſed & ſi quis. ff. ad exhibend. cui obiectioni multipliciter reſpondetur. Primùm ſecundùm Paul. Caſtrenſ. in. d. l. ex hoc iure, quòd emptio, & venditio nullam aliam habent formam, niſi conſenſum: ſi quidem ſolo cõſenſu, vel inter abſentes contrahuntur. Albericus tripliciter hos contractus cõſiderat. Vno modo quo ad poteſtatem contrahendi, & tunc fatetur iure gentium introductos: altero modo eiſdem factis, et tunc facti eſſe, neceſſariò ait concedi oportere. Poſtremò ex poſt facto, & tunc meras ait eſſe obligationes. Bart. quoq; in contractu emptionis, & venditionis duo præcipit conſiderari, conſenſum videlicet, & pretiũ, ex quibus perficitur. Cõſenſum fatetur de iure gentiũ: qui cùm potẽtior ſit pretio, emptiones, & venditiones iure gentiũ introductas nõ inficiatur: cuius ſententiã ſequitur Bald. in rub. de contrah. emp. ſed bona eorũ venia, hæc reſponſio nõ omnes numeros habet. Si enim illud eſſet verũ, eadem ratione ſtipulationẽ quoq; de iure gentiũ poſſemus dicere, quando & conſenſum requirit. Quod tamen conſtat quàm ſit iuriſconſultis aduerſum.

4 *Vndè conuenientius fortè licet cum Alberico, Cy. & Ang.*

& Ang. negare pecuniã eſſe iuris ciuilis, ſed potiùs à iure gẽtium affirmare introdúctã, quod ego vel Platone authore, probari poſſe cenſerẽ: id enim ille videtur ſenſiſſe, lib. 2. de Rep. dũ ait. Quid autem in ipſa ciuitate? quomodo inter ſe impertient ea, quæ ſinguli operantur, cuius impertionis gratia cõmunicationem induximus? Adi. *patet quod emendo, & vendendo.* Socr. *Forum itaque nobis, & nummus in commercijs, ex hoc permutationis gratia instituetur. Quibus verbis ſignificat eundem fuiſſe, & ciuitatum initium & pecuniæ: eademq; indigentia vtraq; ſimul inuenta. Quãquam verò hæc ita ſe habeant, ſatiſq; ſit manifeſtũ neminẽ emptione, vẽditione, alijſq; licitis negotiationibus prohibendũ: neque rurſus vt negotietur compellendũ (nã quantumuis iuſto pretio, nullus emere, aut vendere cogitur, vt probatur in. l. nõ enim. ff. de act. rerũ amot. et in. l. ſi tutor. ff. de in lit. iurãd. et in. l hæc quaſi. de rei vendic.) tamen multæ ſunt cauſæ, quibus hæc regula ceſſat. Illud enim aperti iuris eſt, ratione plublicæ vtilitatis poſſe principem ius parti, iure naturæ, vel gentiũ quæſitũ, tollere, vt probatur apertè in. l. ſi verberatum. §. 2. ff. de rei vendi. et in. l. Lutius. ff. de euicti. et in. l. iubemus. C. de ſacroſan.* 5 6

 eccleſ.

eccleſ.& in.l.Benè à Zenone,de quadrie.præſcrip. Vndè inferebat Bart.in.d.l.iubemus, quòd iudex maleficiorum,poteſt capere aſinũ ruſtici,pro ma-
7 lefactore ad furcas deducendo. Et quod magis ad nos attinet,pro conſtructione eccleſiæ, vel neceſſaria ampliatione,cogi vicinos vendere,docent Guil. & Floria.in.l.ſi quis ſepulchrũ.ff.de relig.& ſumptib.de qua replura Iaſ.in.l.1.ff.ſolu. matrimonio & in.l.ſi ſeruus communis.ff.de vulg. & pupi. &
8 facit.l.1.ff.de ſer.com.ma. & quæ ibi tradit Bald. vbi fauore libertatis quis compellitur vendere: de quo per Imol.in.c.apoſtolicã de dona. & Barthol. Veron. in tracta. de ſerui.in ſerui.vrba. col. 1.& Bartholo Brixien.in ſuo repertorio,in parte,eccle
9 ſia. Hinc illud eſt,quòd ea quæ ſunt neceſſaria victui,cogi poſſunt exuberantes vẽdere iuſto pretio: maximè ſi annona cara ſit: ita docet Panormi. in c.1.de empt.et vendi.cõgruam reddens rationem: quia tempore careſtiæ,vt ipſe ait,omnia ſunt communia,maximè victualia: & ita excuſatur quis à furto, ſi maxima neceſſitate imminente capit alienũ,vt in.c. ſi quis propter neceſſitatem de fur. c.diſcipulos de conſecra.diſt.5.& .c. ſicut.47. diſtinct.vbi licet pauperes non habeant actionem cõ-
tra

tra diuites,poſſunt tamen implorare officium iudi
cis,quem æquum eſt illis ſubuenire,& opem ferre.
Et Bart.in.l.1.C.de epiſco.aud.ait quòd cùm vita 10
hominis duci non poßit ſine veſtimentis, & hoſpi-
tio,quod in domibus aptis ad locandum, & in pan
nis poßit certum pretium ſtatui:idemq; dicendum
in rebus ad victum pertinentibus,ſi ſemel expoſita
fuerint venales:licet enim à principio vendere vo-
luntatis fuerit,demum efficitur neceſſarium, vt
in.l.ſicut.ff.de actio & obliga. Si verò nunquam
venales fuerint,vel omnes habentes cogendi ſunt
vendere,vel nullus,& ita intelligendus eſt text.in
l.fin.ff.ad.l.Iul,de anno.& concordandus cum.l. 1.
§.cura carnis.ff.de off.præf.vrb.& l.fin.§.itē ſi.ff.
de mune.& hono.hæc autem omnia dupliciter ſunt
intelligenda.Primò verum eſſe,cogi poſſe ex publi- 11
ca vtilitate quenquam vendere:pretio ſcilicet iu-
ſto,vt per Salice.in.d.l.1.C.de epiſco aud.argumē-
to l.1.§.corporū,ad.l.Rhod.de iact. & pretio æqua
li rei,ſecundùm Bald.in.d.l.ſi verberatum. Secun
dò intelligi oportet poſſe aliquem ad vendendū cō-
pelli:per principem ſcilicet,ſecus à ciuitate,vel infe
riori,argumento.l.ſi priuatus.ff.qui & à quib & .l.
toties.§.fin.ff.de pollici.quod tamen declarat Bar. 12

in.l. Antiochenſium, de priuileg. credi. non poſſe ciuitatem, vel inferiorem quenquam cogere, vt vendat, adicto particulari aduerſus vnum, aut alterũ ciuem, ſecus ſtatuto vniuerſali, loquendo generaliter, vt in.d.l. Antiochenſium. & in.l. venditor. § ſi ſi conſtat. ff. commu. prædi. Et ne diutius in hac re ſim moleſtus, plura quæ contractus emptionis, et venditionis impediunt, ponit glo. in.l. in venditionibus. ff. de contrah. emp. & Fabia. de monte Pico, in tractatu de emp. & vendi. 5. p. col. 12, & 13. et quãdo quis emere, vel vendere compellatur vltra Bar. in.l. vnica de lat. liber. toll. Bal. et Ang. in.l. ſi pendẽte. §. ſi cloacarij. ff. de vſufru. Alex. in.l. nec emere. C. de iur. delib. plura ponit Soci. in reg. 435. cui alia etiã quàm plurima poſſent addi, quale illud eſt, de quo per tex. in.§. fin. inſt. de his qui ſunt ſui. Quod exponunt & notant Iaſ. in.l. rogaſti col. 1. ff. ſi cer. peta. & Ioan. de Pla. in.l. 1. de Cupreſ. lib. 11. & Soci.
13 *reg. 530. Nec non & illud, quod notãdum cenſeo, poſſe iudicem prohibere ne vltra indigentiã quiſquam emat, quo omnibus ſatis ſit emere volẽtibus: vt docent Salice. in.d.l. 1. C. de epiſ. aud. & Ang. de Aretio. inſt. de dona. ad finem, dicentes poſſe licitè curatores venalium inſtituere, ne quis in foro vltra duo*

duo ſextaria grani, exempli gratia, emat: vt ſic cõmodius omnibus egentibus conſulatur.

§.5. Ne tenuis vitæ homines ſub prætextu aduentus officiornm, vel militum, lumine vnico, vel breui ſuppellectili ad aliorum vſus trã ſlatis, iniurijs vexentur, præſes prouinciæ prouidebit.

Lumine vnico, *Accurſius ait, puta candela, vel lucerna: vel dic quòd per ſimilitudinem loquitur. Nam etiam ſi porcellum habeat tenuis homo, tanquam oculum ſuum ſeruat illum, & ſic in alijs etiã minimis. Albericus, notabilis eſt, inquit, iſte §. quod in aduentu dominorum, vel aliorum officialium, & pro apparatu eorum, non debet mitti ad accipiendum lectos, vel alios apparatus ad domum pauperum: ſed ad domum diuitum: cuius cõtrarium fit ſæpè. Jacobus de Rauena & alij exponunt.* Lumine vnico, *ideſt vxore: vt aliquid addat, quòd ſequitur,* vel breui ſuppellectili. *Coraſius, limine legendum confirmat, non lumine, atque idem Oroſcius & Cruceius videntur ſentire: quod & mihi videtur. Nam præterquàm quòd ſenſus quadrat, & coniectura veriſimilis eſt erroris ſcriptorum: apud Cicero-* 2

Ciceronem lib. 5. ad Att. epiſt. 16. ita ſcriptum eſt: non modo nos fanum, aut quod lege Iulia dari ſolet, non accipere: ſed ne ligna quidem, nec præter quatuor lectos, & tectum quenquam accipere quidquam. Multis locis ne tectum quidem, & in tabernaculo manere plerunq;. Quod ſi à vulgari lectione recedere fas non eſt, ſanè neceſſe eſt, vt idem ſit ſenſus, Lumine vnico, *ideſt foco auguſto interpretemur.*

§. 6. Ne quid ſub nomine militũ, quod ad vtilitates eorum in cõmune non pertinet, à quibuſdam propria ſibi commoda iniquè vindicantibus committatur, præſes prouinciæ prouideat.

Varijs modis in hanc legem peccari poteſt. Sed metatorum, quibus deducendi exercitum cura incumbebat, interq; milites ſtationes diuidebant, exemplũ proponere ſatis erit. Cicero lib. 5. ad Atti. epiſt. 20. Poſtea, inquit, quam Taurũ trangreſſus ſum, mirifica expectatio Aſiæ noſtrarum diœceſium, quæ ſex menſibus imperij mei, nullas meas acceperunt literas, nuſquam hoſpitem viderant. Illud autem tempus quotannis ante me fuerat in hoc quæſtu. Ciuitates locupletes, ne in hyberna mili

tes

tes reciperent, magnas pecunias dabant. Cypri talenta attica.cc. quæ ex inſula, nō ὑπερβολικῶς ſed veriſſimè loquor, nullus numus me obtinēte erogabatur. Et iterum lib.1.ad Q. fr. ep.1. Quo me animo, inquit, in ſeruos eſſe cenſes? quos quidem cum omnibus in locis, tum præcipuè in prouincijs regere debemus, quo de genere multa præcipi poſſunt. Sed hoc & veriſſimum eſt, & facillimè teneri poteſt, vt ita ſe gerant in iſtis Aſiaticis itineribus, vt ſi iter Appia via faceres, néue intereſſe quicquā putent, vtrum Tralleis, an Formias venerint.

§. 7. Sicuti medico imputari euentus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam commiſit imputari ei debet. Prætextu humanæ fragilitatis, delictum decipientis in periculo homines innoxium eſſe non debet.

Quanquam Plinius lib. 29.c.1. ſcribit, de me- 1
dicis agens. Itaque Hercule in hac artium ſola euenit, vt cuicunque medicum ſe profeſſo ſtatim credatur, cum ſit periculū in nullo mēdacio maius. Non tamen illud intuemur: adeo blanda eſt ſperādi pro ſe cuique dulcedo. Nulla præterea lex, quæ puniat inſcitiam capitalem, nullum exemplum vindi-

Eta. Diſcunt periculis noſtris, & experimenta per mortes agunt, medicoq; tãtùm hominem occidiſſe, impunitas ſumma eſt: tamen illorũ imperitia, multis, æquiſſimiſq; & iuris communis, & ciuilis Hi-
2 *ſpani legibus ſeuerè caſtigatur. Nã & Iuſtinianus lib. 4. inſtit. tit. 3. de lege Aquilia.* Præterea, *inquit,* ſi medicus qui ſeruũ tuũ ſecuit, dereliquerit curationẽ eius, et ob id mortuus fuerit ſeruus, culpæ reus erit. Imperitia quoq; culpæ adnumeratur, veluti ſi medicus ideo ſeruũ tuũ occiderit, quia malè eũ ſecuerit, aut perperã ei medicamentũ dederit. *Cuius capitis explicatione, id quoque de quo agimus planum fiet.*
3 Præterea ſi medicus. *Id quidem verum eſt, non ſolùm ſi operam ſuam, aduerſus Hippocratis iuſiurãdum, locauerit, ſed et ſi gratis operam præſtet, auctoribus Ioa. Fabr. Angelo, num. 3. Platea nu.*
4 *18. & glo. in l. idem iuris. ff. ad leg. Aquil. Atque hæc quidem iure ciuili: Iure autẽ canonico in. c. ad aures, de æt. & qual. ad maiores ordines aſcendere prohibetur, is medicus, cuius imperitia conſcientiam remordet: & in c. tua nos de homicidio ſatis multa ab ſcribẽtibus notata ſunt, quæ præſtare medicos oportet. Vbi Innocen. ait animaduertendum*

eſſe medicis in chirurgÿs faciendis, & medicinis cõ
ferendis, ut illas ſolummodo conferant, quas ſciãt
ſecundum artem profuturas, aliàs non ſolùm illos
peccare affirmat, qui nocitura propinãt, ſed et eos
qui dubitãtes ſalubria ſint, nec ne, medicamẽta ex-
hibent. Securiuſq; eſſe infirmum relinquere in ma-
nus creatoris ſui, quàm medicinæ de qua dubitat
quocunq; modo: in quam ſententiã plurima refert
Couarrub. in clem. ſi furioſus de homicid. 2. par. re
lectionis §. 4. Sed & iure Hiſpano huic rei abundè
proſpectum eſt, titu. 8. & 15. par. 7. & in commi-
tÿs Mãtuanis anno 1528. et Toletanis anno. 1539 5
Legib⁹ quoq; Gothorũ ita cautũ erat: ſi quis medic⁹
dũ phlebotomiã exercet, ingenuũ debilitauerit, cẽtũ
quinquaginta ſolidos coactus exoluat. Si verò mor
tu⁹ fuerit, ꝓpinquis cõtinuò tradẽdus eſt, ut quod
de eo facere voluerint, habeãt poteſtatẽ: ſi verò ſer
uũ debilitauerit, aut occiderit, huiuſmodi ſeruũ re
ſtituat. Quod in foro iudicũ go lib. 11. tit 1. l. 6. ita trã-
ſcriptũ eſt: Si algũ phyſico ſagrare home libre,
ſi enflaqueze por la ſangria, el phyſico deue
pechar ciẽt, e cinquẽta ſueldos, e ſi morir me-
tan al phyſico en poder de ſus parientes, q̃ fa
gan del lo q̃ quiſieren, e ſi el ſieruo enflaq̃ze,

o muere

o muere por la ſangria, entregue otro tal ſier
6 uo al ſeñor ſo. Qui ſeruum tuum, *alia ratio eſt ſi ingenui curationem dereliquerit, aut eum imperite ſecuerit, vel perperam ei medicamentum dederit, tunc enim non Aquilia competit: ſed olim (vt Paul. lib 5. receptarum ſententiarũ tit. 25. ad l. Cornel. de Sicc. eſt auctor) ſi ex eo medicamine, quod ad ſalutem hominis, vel ad remediũ datum erat, homo perierat, is qui dederat, ſi honeſtior fuerat, in inſulam relegabatur, humilior autem capite puniebatur. Nũc arbitraria pœna eſt, atq; extra ordinaria, vt ab ſcribentibus probatum eſt, in. d. §.*
7 *ſicuti, & in l. medicus. ff. diuer. & extraordina. cogni.* Secuit *Secare ad chirurgos potius pertinet, quã ad medicos. Vnde Eguinarius Baro ex his verbis probari putat, medicos olim fuiſſe* χειρουργούς *Quã rẽ multis bonis auctoribus citatis Briſſonius probat lib. 2. ſelectarũ c. 4. imo hoc tantũ medicinæ gen⁹ olim in vſu fuiße, docet Plin⁹ li. 29. c. 1. in pri. et Cor. Cel. quẽ eius artis profeßores Hippocratẽ latinũ appellant, lib. 1. in prin. Æſculapij, deinde, inquit, duo filij, Podalirius, et Machaõ, bello Troiano ducem Agamẽnonẽ ſequuti, non mediocrẽ, opẽ cõmilitonibus ſuis attulerũt, quos tñ Homer⁹ nõ in peſtilẽtia,*

neque

neque in varijs generibus morborum aliquid attu
liſſe auxilij, ſed vulneribus tantummodo, ferro, &
medicamẽtis mederi ſolitos eſſe propoſuit. Ex quo
apparet, has partes medicinæ ſolas ab his eſſe ten-
tatas, eaſq; eſſe vetuſtiſſimas: eodemq; auctore di
ſci poteſt, morbos tum ad iram deorum immorta
lium relatos eſſe, et ab ijſdem opem poſci ſolitam.

Dereliquerit curationem eius, *etiam ſi ob* 8
defectum ſolutionis, vt Ioannes Faber ait, dereli-
querit curationem. Nec enim deſerere infirmum
licet, ſed curare diligẽter, & pro ſalario apud iudi-
cem agere. Illud autem animaduertendum, quod
admonet Eguinarius, negligentiam lege Aquilia
coerceri, quæ in nõ faciẽdo eſt, quod quis facere de
bet, non etiã eam quæ in nõ faciendo eſt, quod quis
facere poteſt. Si enim medicus ſeruũ non curauit,
quòd curam eius nunquam ſuſcepit, culpa caret.
At ſi ſemel ſuſceptam curationem dereliquerit,
Aquilia tenetur: nam licet contractus liberi ſint,
ijs tamen initis neceſſariò ſtandum eſt. Multum
autem differre nõ curare, & curationem relinque
re, optimè ex Luciano in abdicato probat Fraſciſ-
cus Balduinus, qui illud etiã addit, quòd eſt æquiſ-
ſimum, hoc caput tunc demum procedere, quando

ex negligẽtia infirmũ relinquat, quẽ ſperare poſſet, poſſe ſanari, nõ ſi deſperatũ iã, et cõclamatũ deponeret.
9 Et obid mortuus fuerit ſeruus, culpæ reus eſt, *etiã in foro conſcientiæ, in quo Aquilia obligat, quantũuis de leuiſſima, auctoribus Barba. in. c. Rainaldus de teſtam. Adrian. lib. 4. ſentent. in materia de reſtitutione c. vtrum in foro cõſcientiæ, Couarrub. in epitome lib. 4 decreta. 2. p. c. 6. nu.*
10 *12. & Nauar. qui hanc videtur facere cõmunem opinionẽ in manual. c. 17. nu. 184. Cõmittitur aũt culpa tripliciter, vel ante factum, vel in facto, vel poſt factũ, vt optimè glo. diſtinguit in. d. l. idẽ iuris, cuius ſequuntur doctrinã hic Placenti. et Ioan. de Platea. Tripliciter ergo dicitur quis eſſe in culpa, vel non faciendo, quod homo diligens faceret, vel ſi aduerſus pacta conuenta faciat, vel ſi ſit in mora: ita docet glo. in. l. videamus. ff. loca. Medicus igitur malè ſecando, vel curationem relinquendo in culpa dicitur eſſe, non in dolo. Vndè apparet rectè dixiſſe Ang. Plat. et Eguinarium, huiuſmodi medicũ lege Aquilia teneri, nõ lege Cornelia de ſiccarijs, quia lex illa dolum requirit, non ſolùm culpam.*
11 Imperitia quoq; culpæ annumeratur. *Nã vt Cicero ait optimè Græcorũ prouerbio cautũ eſt,*
quam

quã quis nouit artẽ, in hac ſe exerceat. Imperitiã aũt intellige earũ rerũ quaſquis profitetur, eas.n. exhibere cogitur,nõ alias: atq; ita Alci.in.l.cedere diem.§.fin.nu.32.ff.de ver.ſig.accipiendũ eſſe ait, quod in.d.§.ſicuti dicitur,deq; ea re plura doctores in regul.imperitia.ff.de reg.iu.Vnde illud etiam eſt, quod Bar.ait.in.l.ſed et reprobari.ff.de excu.tuto. 12
*Petrus Coſtalius in.d.§.ſicuti.et Euerar.loco.56. à milite armatæ militiæ,ad militẽ cæleſtis militiæ,in fine. Doctorẽ rõe ætatis in integrũ nõ reſtitui,nimirũ quia ſe nõ ſolũ doctũ,ſed et doctorẽ ꝓfitetur, et qui cæteris cauere poßit,nedũ ſibi. Probatur in.l.ꝓfeßio.C.de muneri.patri.li.10.vbi cũ imperator dixiſſet,*profeſsio tua,et deſideriũ tuũ inter ſe diſcrepãt, nã cũ philoſophũ te eſſe ꝓponas vinceris auaritia,et rapacitate, *ſubinfert glo. hoc poſſet dici doctori petenti reſtitutionem in integrum.*

Veluti ſi medicus ideo ſeruum tuum occi- 13
derit,quia malè eum ſecuerit. *Id quidẽ ſi callidè fecit, cùm ſciret ſe medicum non eſſe,auctore Eguinario, etiam lege Cornelia pœnas dabit:ſi autem duplici ignoratione detentus,ideſt ſeſe medicũ credẽs,extra dolum culpa erit,nec capite plectetur, ſed.l.Aquilia. Conſonant etiã de hac re Hiſpana*

iura,

iura,nam.l.10.tit.8.& l.9.tit.15. parti. 7. imperitiam caſtigant. At.l. 10.titu.9.part. 2.ait, que el medico que a ſabiendas vſa mal de ſu officio comete traycion conocida.

14 Aut perperam ei medicamentum dederit. *ideſt auctore Theophilo,medicamentum cùm nihil opus eſſet,ei dederit,aut non ſuo tempore dedit. Quibus ita explicatis pauca adhuc nobis dicenda ſunt,illudq; in primis notandum, quod Nicaſius ait,num. 3.poſſe iſtam deciſionem intelligi de medicis animæ,vt ſunt paſtores & confeſſores,per quorum imperitiam & negligentiam frequenter occiduntur animæ:qui licet non teneantur hac actione alicui hominum,ſanguis tamen illarum animarũ, de manibus eorum requiretur à domino, vt in. c. irrefragabili de offi.ordi.dicitur.Balduin. quoque*

15 *et Nicaſſius idem in obſtetricibus dicendum, rectè putant:nam & obſtetrix appellatur medica in l.1.§.1.ff de var. & extraordi.cogn. & in.l.item ſi*

16 *obſtetrix.ff.ad. l. Aquil.Sed & veterinarios hac lege comprehendi, eorumq; & culpam & imperitiã Aquiliano Plebiſcito coerceri,dici poteſt:quandoquidem & animalia bruta curãtes,medicos appellari docet Glo.in.l.1.C de excuſſa.artifi.et in.l.1.*

C.de

C.de profeſ.& medic.lib.10.& ita apertè diſponit l.9.tit.15.partita.7. Illud quoq; quod multis ver- 17 *bis Ang.probat num.2.hoc caput aduocatos etiã continere, neque licere illis ſemel ſuſceptum patrocinium deſerere,clientulumue, aut cõſultorem lite incepta,ante rem deſerere iudicatam,ſanè rationem habet. Sed & alteram partem in aduocatis locum habere,vt ſi quid per imperitiam cõmiſſerint,teneantur, imputeturq; eis: multis iuribus Alberi.probat in.d.l.illicitas.§.ſicuti,& Guido de Suza.in.l.1.C.de aduoca.diuerſ.iudi.atq; eo magis quod medicus mortale vulnus ſanare non poteſt, at aduocatus peſſimam cauſam poteſt facere videri bonam,vt ait glo.in.l.quod ſi nolit.§.ſi mancipium.ff.de ædil.ædict.glo.Bart.& Alex.in.l.ſi ab hoſtibus.§.ſi vir vxorem.ff.ſolu.matrimo.Et aſſeſ-* 18 *ſorem hac lege comprehendi Ang.num.3.Platea num.21.& Franciſ.Balduin.ſcribunt. Atque idẽ iuris eſſe omnium artificum,artem quancunq; profitentium,Ang.& Balduin.tradidere, & apertè probatur in.l.ſi quis in fundum.§.Celſus.ff.loca.et conduct. Sed profectò huic ſententiæ è regione con-* 19 *tradicere videtur.l.1.ff.ſi mẽſor fal.mo.dixe. dum ait,* hæc actio dolum malum duntaxat exigit.

Viſum eſt enim ſatis, abundeq́; coerceri men ſore, ſi dolus malus ſolus cõueniatur eius hominis, qui ciuiliter obligatus non eſt. Proinde ſi imperitè verſatus eſt, ſibi imputare debet, qui eum adhibuit: ſed & ſi negligenter, æquè menſor ſecurus erit. *& in. l. 2. ff. de proxene. inquit. I. C. proxenetam tum demum teneri, ſi dolo, et calliditate creditorem circunueniat. Illud quoque difficilem habet intelligentiam, quæ nam ſit tam diuerſa ratio diſponendi, quæ adeò iudicem ab aſſeſſoribus ſeparet, & aduocatis. Nam patronos cauſarum, atque aduocatos imperitiam præſtare oportere, ſupra docuimus: iudicibus autem dolum imputari ſolummodo, probat. l. ſi filius famil. ff. de iudic. dicens*, iudex tunc litem ſuam facere intelligitur, cùm dolo malo in fraudẽ legis ſententiam dixerit, *&. l. 2. ff. quod quiſque iur. hoc* edicto, *inquit*, dolus debet ius dicentis puniri: nam ſi aſſeſſoris imprudentia ius aliter dictum ſit, quàm oportuerit, non debet hoc magiſtratui officere, ſed ipſi aſſeſſori. *Azo inde hoc euenire putabat, quòd ſecare maleficium ſit, non ita iudicare: ſed hæc ratio Petro de Bellapertic. inſtit. de oblig. quæ ex quaſi deli. vaſ. non*

quadrat, veriuſque dici putat, quòd medicus, atq;
aduocatus, & aſſeſſor, nec non & cæteri artifices,
dum munera ſua obeunt, ſeſe peritos affirmant,
quod iudex non facit: vel potius quòd illa ſunt offi-
cia voluntatis, iudicis verò officium eſt neceſſariũ,
vt probatur in. d.l. fin. ff. de mune. & hono. & iu-
dex cogitur iudicare, medicus non ſecaret, niſi vel-
let. Ego ita cenſeo, iudicem de dolo ſolum teneri, ſci-
licet, vt veram litis æſtimationem ſoluat, & quod
iuris in alium ſtatuerit, ipſe eodẽ iure vtatur: atq;
ita interpretor. d.l. ſi filiusfamil. & .l. 2. Vt autem
arbitrio ſuperioris caſtigetur, quamuis abſque do-
lo per imperitiam peccauerit, obligari eum exiſti-
mo: atque hoc modo accipiendum, quod in. l. fina.
ff. de var. & extraordi. cogni. & in prin. inſt. de o-
bliga. quæ ex quaſi delic. naſ. dicitur. Vbi Ang. ait 21
animaduertẽdum eſſe ei, qui aduerſus iudicem a-
git in ſindicatu, ne petat ipſum condemnari in
aliqua certa quantitate, vel re: quia tunc tenetur
probare dolum in iudice, vt in l. quotiens. §. qui
dolum. ff. de proba. decretum eſt: ſed petat ip-
ſum condemnari in quantum æquum videbitur
diſcretioni iudicantis, quia tunc vel ſola imperi-
tia iudex tenebitur. Idemque de agrimenſoribus

& proxenetis dici poſſe videtur, & actor ſolummodo probando iniuſtam ſententiam: obtinebit, de qua re plura Ang. in l. ex maleficijs §. ſi iudex. ff. de
22 *actio. & oblig. Imo ſi tam eſſet pernitioſus dolus, tã eſſet damnoſa imperitia, vt è repub. eſſet ſtatutam legibus pœnã augeri, poſſet id quidem ſuperior facere, vel auctore Platone lib. 6. de legibus vbi ait, quòd ſi quis aliquem iniuſtam ſponte ſententiam tuliſſe incuſet, apud legum cuſtodes hoc faciat, & qui damnatus fuerit, dimidiam damni partem iniuriam paſſo perſoluat. Si autem mulcta maiore dignus videatur, iudices ipſi, qui commendarunt, quid aut pati, aut reddere debeat, vel reipub. vel iniuriam paſſo, cognoſcant.*

§. 8. Qui vniuerſas prouincias regũt ius gladij habent, & in metallum dandi poteſtas eis permiſſa eſt.

1 Qui vniuerſas prouincias regunt. *Dictionem, vniuerſas, exundare Coraſius ait. Oroſcius, vniuerſas, orientalis aut occidentalis imperij exponit. Eguinarius, vniuerſas prouincias, totas prouincias accipe, inquit, non omnes ſimul. Igitur præſides prouinciarum generaliter, ſiue proconſules, ſiue legati, ſiue correctores dicantur, ius gladij habent.*

bent. Ego Eguinario aſſentior.

Ius gladij habent. *Ideſt, vt Vacca ait, poteſtatẽ, vt aliquem necare poßint, carnificis manu adhibita. Coraſius, hoc eſt, maiorem illã animaduerſionem in delinquentes, quam merum imperium dicimus. Eguinarius, ideſt poteſtatem animaduertendi gladio in facinoroſos: non ſecuri, telo, vel veneno. Hoc igitur verbo, vt idem Coraſius & Eguinarius probauerunt, non omnis animaduerſio capitalis, nec quacunq; coertio delictorum continetur. Alioquin ſuperfluò addidiſſet Vlpianus,* & in metallũ dandi. *Alludit autem, vt Vacca putat, ad morem cingendi gladij, in ſignum conferendæ poteſtatis, de capite alterius iudicandi. Vndè cingulũ dignitatis in iure: & quod ante dictatorem olim, nunc etiam ante ſenatorem Romanum, & alias Italiæ poteſtates, gladius geſtari ſolet.* 2

Et in metallum dandi poteſtas eis permiſſa eſt. *Meritò ab interpretibus dubitatur, quid nã ſit cauſæ, quòd cùm dare in metallum præſides poſſint: vndè maxima capitis diminutio interuenit, deportandi in inſulam ius præſidibus datum non ſit. Hoc enim epiſtola D. Seueri ad Fabium Cilonem præfectum vrbi, expreſſum eſt, auctore Vlpiano* 3

in l. inter pœnas. ff. de interd. & releg. Et in. l. rei capitalis. §. cõſtat. ff. de pœnis. idẽ Vlpianus ait. Præſidẽ deportare nõ poſſe, nulla dubitatio eſt. *Dinus in. c. cui licet, de reg. iur. lib. 6. glo. & Bart. hic reſpõdent, ideo præſidẽ in metallum dare poſſe: deportare verò in inſulam non poſſe, quia cùm inſulæ in dominio particulari principis ſint, deportatio aũt ſine aſsignatione inſulæ fieri nõ poßit, meritò hoc genus pœnæ præſidibus interdicitur. Oroſcius aſſenſionẽ ſuſtinens, Accurſium ac Bart. ſine auctore, et lege loqui, et rationẽ eorum infirmã eſſe ait: quod verum eſt: nã & prouincijs ſæpè adiacebant inſulæ, quibus præſides ius reddebant, vt in. l. relegatorum probatur, & Cicero lib. 5. & 6. ad Atticũ docet. Ricardus hoc loco, et Albericus aliter ſentiunt, quibus Alcia. Parerg. lib. 1. c. 15. ſubſcribens, hinc apparet, inquit, certa ratio, cur præſes prouinciæ ius in inſulam deportandi nõ haberet. Cum enim ciuitas Romana à deportatis amitteretur, quæ quidẽ ex ſenatuſconſulto, vel lege lata auferri nõ poterat, meritò ante principis annotationem, huiuſmodi cõdemnatus ciuis remanebat: erat ſiquidem deportatio ciuium Romanorum pœna. Quòd ſi præſes, inquit ille, aliquem non ciuem deportare voluiſſet, in aliquam*

aliquam ſuæ adminiſtrationis inſulam, potuiſſe id ab eo fieri, etiam incõſulto principe arbitror, argu. l. fin. ff. de ſepulch. violat. hæc ille: quæ ſolutio multò veriſimilior eſt illa ſuperiore. Atque ita accipio quod in. l. relegatorum. ff. de interdic. & rel. Vlpia. ſcribit. In inſulam relegare præſides prouinciæ poſſunt, ſic tamen, vt ſiquidem inſulam ſub ſe habeant, ideſt, ad eius prouinciæ formã pertinentem, quam adminiſtrant, & eam ſpecialiter inſulam adſignare poſsint, in eãq; relegare. Sin verò non habeant, pronuntient quidẽ in inſulam ſe relegare, ſcribant autem imperatori, vt ipſe inſulã adſignet. *Quarum rerum illico reddit rationem.* Hæc eſt differentia inter deportatos, & relegatos, quòd in inſulam relegari, & ad tempus, & in perpetuũ quis poteſt. Siue ad tempus, ſiue in perpetuũ quis fuerit relegatus, & ciuitatẽ Romanam retinet, & teſtamenti factionem non amittit. *Quanquam aduerſus illam diſtinctionem Albericus obijciat, poſſe præſides in metallum dare, vbi non ſolum Romana ciuitas, quemadmodum in deportatione, verùm & libertas, ac omnia iura ciuilia amittuntur. Vndè in opus metalli ad tempus*

nemo dari debet: ſed in perpetuum, vt docemur in l. aut damnum. §. eſt pœna. & in. l. quidam ſunt, & in. l. capitalium. §. & vt generaliter. ff. de pœnis. Cui argumento idem Alber. reſpondit, ideo ius dandi in metallum conceſſum præſidibus, quia ea animaduerſione non directè amittũtur ea, quæ ſunt iuris ciuilis: ſed per quandam conſequentiam, & per indirectum: ſententia nanque illa reus ſolummodo efficitur ſeruus pœnæ, & conſequenter & libertatem, & poſt libertatem ciuitatem amittit. Sicque multa, inquit ille, per indirectum concedun tur, & obliquè, quæ directò non concederentur, argumento text. in. l. ſi vnus. §. illud. ff. de pact. & in. l. quod dicimus. ff. de authori. tutor.

§. 9. Præſes prouinciæ ſi multam, quam irrogauit, ex præſentibus facultatibus eorum quibus eam dixit, redigi non poſſe deprehenderit, neceſsitate ſolutionis moderetur, reprehenſa exactorũ illicita auaritia. Remiſſa propter inopiam multa à prouincias regentibus exigi non debet.

Satis multa de remiſſione pœnarnm, & moderatione à nobis dicta ſunt, in. l. 1. ff. de iuſti. & iur. quibus hoc quoque addendum eſt. De materia autem,

autem, vt dicitur, huius capitis, abundè arbitror à Bartolo, Alberico & Coraſio tractatum: illud vulgare eſt, paupertati multis in rebus à iure indulgeri, inopiamq; ſubleuari. Quà de re vltra Bar. & Alber. innumeri ab eorum additionatoribus adſignantur loci, & doctores, varia de priuilegijs paupertatis diſputantes. Vltra quos nonnulla etiam ponunt glo. et ſcribẽtes in. §. 2. quibus ex ca. man. Bal. in. c. ſignificãtibus. de off. deleg. Alcia. lib. 1. de ver. ſig. col. 18. & 19. & Coraſius de iure ciuili in artem redigendo. 4. p. c. 19. Cõſiderare autem oportet præceptum illud mirabile Exod. 23. vbi cum leges omnes cæteroqui in humanitatem, ac miſericordiam vergere videamus: at in iudicio, vel pauperis miſereri, nefas eſſe legiſlator exiſtimat. Nam cùm miſeratio infelicibus debeatur, quiſquis ſponte malè agit, non infelix, ſed iniquus eſt. Itaque peccanti pauperi pœnam non eſſe remittendam docemur. Quapropter quod hic dicitur, ita accipiendũ cenſerem, ſi aliàs ſatis reus eſſet punitus: atque id ex his quæ Oroſcius et Coſtalius, ex Bartolo, & Panormitano retulerunt, poteſt comprobari. 2

7. Idem libro tertio opinionum.

Præſes prouinciæ inſpectis ædificijs, dominos eorũ, cauſa cognita, reficere ea cõpellat: & aduerſus detrectantem, competenti remedio deformitati auxilium ferat.

1 *Et ſi ſatis multa de forma, & ornatu vrbis dixerimus in l. 1. ff. de iuſt. et iur. tñ è re arbitror hoc loco nõnulla addere, vt appareat facilius, quã fuerint de hac re antiqui illi partes ſolliciti. Nullã. n. fermè rẽ tot ſimul magiſtratibus cõmendatã reperiemus, quàm vrbis decorẽ. Nã quãuis curã hanc præcipuè ædilibus legamus impoſitã, vt ædificijs & publicis, & priuatis prouideãt: ita ſiquidẽ multis titulis probatur, expreſſeq; in l. ædiles. ff. de via pub. et iti. publ. refic. et apertior res eſt, quàm vt teſtibus vllis indigeat: verũ et ad vrbanos quoq; prætores, adiũ curã pertinuiſſe, Liui⁹ teſtis videtur, li. 6. deca. 5. Decreuit, inquit, ſenatus, vt. C. Sicinius prætor ædes inſtructas locaret, vbi fili⁹ regis, comiteſq; eius habitarẽt. Cicero quoq; lib. 3. in Verrẽ, dũ eius vrbanã præturã reprehẽdit, in ſartis tectis, inquit, quẽadmodũ ſeſe geſſerit, quid ego dicã? dixerunt, qui ſenſerũt: et paulò poſt ait: factũ eſt. S.C. quibus de ſartis tectis cognitũ & iudicatum non eſſet, vti C. Verres. P. Cælius prætores cognoſcerent, & indicarent,*

carent: & poſtmodũ multis verbis oſtendit, quàm, dũ Caſtoris colũnas ad perpendiculũ exigit, impudentiſsimè Iunij pupilli fortunas inuaſerit. Sed & cenſores quoq; nõ ab hoc munere vacuos fuiſſe, ex Liuij verbis apparet lib. 1. Deca. 5. dũ ait: Cẽſores vias ſternendas, ſilice in vrbe, Glarea, extra vrbẽ, ſubſtruẽdas, marginãdaſq; primi omniũ locauerũt põteſq; multis locis faciebãt. Poſtremò imperio procedẽte hãc curã ad quoſdã pertinuiſſe legimus, qui curatores viarũ, & vicorũ dicebantur, quòd vicos in ciuitate, & extra ciuitatẽ vias publicas, & cloacas curarent, licet poſtea diſtincta fuerint eorũ munera, qui vias publicas, et ripas fluminũ curabãt, et qui vicos, ac regiones vrbis, qui ꝓpriè curatores regionũ, ſiue magiſtri vicorũ ſunt dicti, auctorib9 Suetonio, ac Lãpridio, qui vel hodie durãt magiſtrat9, publicèq; de hiſce rebus in Capitolio ius reddũt, vulgò dicti (maeſtri di ſtrade). Fuerũt quoq; et alij ciuitatũ curatores, de quibus Caſsiodor9 li. 7. variarũ in formula curatoris ciuitatũ: verũ illud eſt diuerſũ à noſtro propoſito. Hæc eò dixerim, vt appareat, nihil mirũ in ꝓuincijs ornatũ vrbiũ præſidib9 cõmendari: qñ Romæ à tot magiſtratibus huic parti cõſultũ fuerit: quinimo quã plurimos principes hãc ſibi 2

curam

curam vendicaſſe nouimus. De Auguſto Suetonius ſcribit, vrbem pro maieſtate imperij ornatam
2 *& inundationibus, incendijsq; obnoxiam excoluit adeò, vt iure ſit gloriatus, marmoreã relinquere, quam acceperat lateritiam: tutam verò, quãtum prouideri humana ratione potuit, etiã in poſterum præſtitit: & poſtmodũ ait. Publica opera plurima extruxit: ſed & cæteros principes viros ſæpè hortatus eſt, vt pro facultate quiſq; monumentis, vel nouis, vel refectis, & excultis vrbẽ adornarent, multaq; à multis extructa ſunt. Similiter quoq; de Veſpaſiano idẽ Suetonius ſcribit. Deformis vrbs veteribus incendijs, ac ruinis erat, vacuas areas occupare, & ædificare ſi poſſeſſores ceſſarent, cuicunq; permiſit: ipſe reſtitutionem Capitolij aggreſſus, ruderibus purgandis manus primus admouit, ac ſuo collo quædam extulit. Et iterũ eundẽ laudat, quòd plures ciuitates, incẽdio, aut terræmotu dirutas reſtituerit. Vituperat verò Tyberium, quòd ædificia, & opera publica neglexerit. Meritò igitur tot in iure noſtro diſpoſita cernimus, tantorum imperatorum, non ſolùm legibus, ſed & exemplis confirmata. Vnde illud eſt, quod propter deformitatem vrbis, vel propriam domum quemque deſtruere,*

edicto

ædicto D. Veſpaſiani, & S.C. vetari, Alexander imperator reſcripſit, in. l. negociandi cauſa. C. de ædif. priua. & in. l cætera. ff. de leg 1. docemur. Decurionem quoq; cogi poſſe, vel de nouo domum in ciuitate ædificare, impp. Valeria, et Gratian. A A. Modeſto præfect. præt. in. l. 8. C. de ædifi. priua. reſcripſerunt, his verbis. Singularium vrbium curiales etiam inuiti, vel reparare intra ciuitates quas olim habuerũt domos: vel de nouo ædificare cogantur: illic munijs ſemper inſeruituri, & aucturi propriarum frequentiam ciuitatum. Poſſeſſores verò qui non erunt curiales, in vrbibus in quibus domos poſsidẽt, eaſdem domos dirutas, neglectaſq; reparent: iudiciaria ad conſeruandum hoc præceptum authoritate retinendi. *Illud quoq; notandum quod Roman. in ſingular. ponit, caſum eſſe quo quis vendere compellitur, quando nobilis pauper habet Palatium, quod deſtruitur, & non poteſt illud reficere propter paupertatem, cogitur vendere, vt alius reficiat, ad decorem vrbis. Poſtremò animaduertenda eſſe cenſeo huius capitis verba, quibus non luxus, & immodicus ſumptus exigitur: ſed eatenus præſidis diligentia requiritur, quatenus deformi-*

4 5 6

tati

tati feratur auxilium. Nanq; eo nomine à Suetonio Auguſtus laudatur, Nero verò reprehenditur, non in alia re dãnoſior, quà in ædificando. Adhibendus eſt igitur huic rei modus, atq; ita deformitati auxilium ferendum à præſidibus, vt vrbes ornent ædificijs, ab iniurijs tamen, & damno priuatorum, quantum res patitur, abſtineant, Auguſti exemplo, qui ne poſſeſſoribus inuitis proximas extorqueret domos, forum anguſtius fecit.

8. *Iulianus libro primo Digeſtorum.*

Sæpè audiui Cæſarem noſtrum dicentẽ hac reſcriptione, eum qui prouinciæ præeſt adire poteſt, non imponi neceſsitatem proconſuli, vel legato eius, vel præſidi prouinciæ ſuſcipiẽ-
7. dæ cognitionis, ſed eum æſtimare debere, ipſe cognoſcere, an iudicem dare debeat.

9. *Calliſtratus libro primo de cognitionibus.*

Generaliter quotiẽs princeps ad pręſides pro-
8. uinciarũ remittit negotia per reſcriptiones, veluti eum qui prouinciæ præeſt adire poteris, vel cum hac adiectione, is æſtimauit quid ſit partiũ ſuarum, non imponitur neceſsitas procon-

procõſuli,vel legato ſuſcipiẽdæ cognitionis, quanuis non ſit adiectũ,is æſtimauit quid ſit partiũ ſuarum: ſed is æſtimare debet vtrum ipſe cognoſcat,an iudicem dare debeat.

Sæpe audiui Cæſarem. *Eguinarius Adria-*
nũ putat. Coraſius, Antoninũ Pium potius. Mi- 1
hi id incertum eſt, vt enim ex Euſebio, Eutropio, Riuallio, & Hotomano conſtat, Saluius Julianus cognomento Seuerus, origine Mediolanẽſis, Priſci Iaboleni diſcipulus, floruit anno poſt natũ Chriſtum, centeſimo trigeſimo quarto, per Adriani imperium, cui etiam in conſilio cum iudicaret, aſſedit: Antonino deinde Pio, & diuis fratribus charus. & magno in honore fuit.

Hac reſcriptione. *Aliud dicendum Eguinarius ſcribit, ſi lege, ſenatuſconſulto, conſtitutionéue principali: argu. l. 1. ff. de offic. eius cui mand. eſt iuriſd.*

Eum qui prouinciæ præeſt adire poteſt. 2
Accurſius putat idem dicendum & ſi ſcriptum ſit: Eum qui prouinciæ præeſt adire debes. Vtrunq;
autem ſi verba directa ſint ad impetrãtem. Nam 3
ſi ad præſidem dirigantur, diſtinguendũ ait, an per
verbũ mando, & tunc delegare poſſit: an, præcipio, 4
& tunc

& tunc nō. Quam diſtinctionem Bartol. Alber. & Oroſcius probauerunt, & Bald. ait non reperiri alibi, & Alex. in l. more. ff. de iuriſd. om. iud. dicit, quòd eam totus mundus commendat. & Iaſ. in l. 2. C. com. de leg. Quid autem in cōtractibus, quid in vltimis voluntatibus cenſendū ſit, præterea quæ verba neceſſitatem imponant, quæ non, abundè à Bartolo & Alberico tractatum eſt, atque ab eorum additionatoribus multa loca ſunt indicata, vbi hæ res prolixiùs agitantur.

Legato eius. *Cæſaris ſcilicet: vel etiam proconſulis.*

10. *Hermogenianus libro ſecundo iuris Epitomarum.*

Ex omnibus cauſis, de quibus vel præfectus vrbi, vel præfectus prætorio, itemq; conſules, & prætores, cæteriq; Romæ cognoſcunt, correctorum & præſidum prouinciarum eſt notio.

1 *Dubium in ipſo principio occurrit, quonam modo præſidis iuriſdictionem, poteſtati præfecti vrbi, vel præfecti prætorio iuriſconſultus cōparet, cùm multa ſint ijs conceſſa, quæ præſidi legimus interdicta. Quale eſt illud vnū, quod nobis exempli loco eſſe*

eſſe poterit, quod Vlpianus in l. 1. §. deportatos. ff. de leg. 3. docet, præfectis prætorio, vel eis qui vice præfecti, ex mandatis principis cognoſcent, itemq́ præfectis vrbi, epiſtola D. Seueri, ius deportandi datum eſſe. Quam rem præſidibus prouinciarum negatam ſupra in l. illicitas. §. qui vniuerſas, oſtendimus. Huius differẽtiæ ratio ſatis patet: primùm, quòd hoc priuilegium illis ſpecialiter ab imperatore indultum nouimus: deinde hoc in illis eſſe ſpeciale dicendũ eſt, qui vice ipſius principis cognoſcũt, à quo in reliquos omnes iuriſdictio deriuatur. Quãuis igitur omnia de quibus vel præfectus vrbi, vel præfectus prætorio cognoſcunt, per præſidem expediantur, id eſt omnia, quæ Romæ varios iudices habent, in prouincia ſolus præſes explicet: non tamen intelligendum, ob id ei omnium magiſtratuum priuilegia, & honores eſſe conceſſos, quando id ad prouinciæ gubernationem ſcimus nõ eſſe neceſſarium. Id autem ſic ſe habere exemplo apparet notiſſimo.
2 *Cùm ante quæſitum fuiſſet, an liceret à præfectis prætorio appellare, et iure liceret, & extarẽt exempla eorum, qui prouocauerunt, poſtea publicè ſententia lecta principali, appellandi facultas interdicta eſt, vt in l. vnica ff. de off. præf. præt. docet iuriſ-*

 conſultus,

conſultus. Hoc priuilegiũ ad præſides nõ eſſe trãſlatum (quanuis ex omnibus cauſis, de quibus illi cognoſcũnt) vel ſacrarum literarum conſtat teſtimonio. Act. ſiquidem Apoſt. cap. 25. Paul. Apoſtolum legimus, cùm ad tribunal Feſti præſidis Cæſareæ ſtaret, Cæſarem appellaſſe: cui Feſtus reſpõdit, Cæſarem appellaſti, ad Cæſarem ibis. & cap. 26. Agrippa Feſto dixit, cùm Paulum rationem reddentem audiuiſſet, dimitti poterat homo hic, ſi nõ appellaſſet Cæſarem. Sed & alio quoque priuilegio præfectos prætorio ſubnixos nouimus: ne ſcilicet à ſententijs eorum minores ætate, ab alijs magiſtratibus, niſi ab ipſis præfectis prætorio reſtitui poſſent: quod certè ad præſides non legimus extendi.

3 Itemq; conſules. *Innuere videtur contentioſam iuriſdictionem apud conſules fuiſſe, quod & Sigonius probat, non ſolùm voluntariã. Id autem eo notauerim, quod Zaſius in paratitla ad primã ff. partem. tit. de officio conſulis, & Vacca in. l. 6. §. qui vniuerſas. ſuprà iſto tit. ſcribunt apud conſules contentioſam iuriſdictionem non fuiſſe, ſed tantùm voluntariam, vt ſi quis manumittere vellet, vel emancipare. Quæ opinio difficiles ſanè habet explicatus. Nam quanuis conſules ipſi per ſe non*

ſemper

ſemper iuriſdictionem exercerent, non tamen inde ſequitur illos iuriſdictionem non habuiſſe, quãdoquidem neque princeps, à quo in reliquos iudices imperium deriuatur, per ſe illud exerceat. Præterquam quòd multorum auctorum teſtimonijs aliud ſignificari videtur. Cicero. lib. 3. de legib. nam & illud quidem ipſum, inquit, quod in iure poſitum eſt, habet conſul, vt ei reliqui magiſtratus omnes pareant, excepto tribuno, qui poſt extitit. Et Philip. 4. idem Cicero ait, laudatur prouincia Gallia, meritòq; ornatur verbis ampliſſimis à ſenatu, quòd reſiſtat Antonio. Quem ſi conſulem illa prouincia putaret, neque eum reciperet, magno ſe ſcelere aſtringeret. Omnes enim ſub conſulis iure, & imperio debent eſſe prouinciæ: et idem. Cicero in oratione pro Pub. Seſtio egregia ſimilitudine conſulatum gladio comparauit: & Liuius lib. 2. Decad. 1. ait, libertatis autem originem inde magis, quia annuum imperium conſulare factum eſt, quàm quòd diminutum quicquam ſit è regia poteſtate numeres: omnia iura, omnia inſignia primi conſules tenuere. Significans non ſolùm inſignia regia ad conſules à regibus, ſed & imperium tranſlatum. Quod idem apertè

oſtenditur ex lege duodecim tabularum titul. de Dict. offi. vbi vt ſummã Dictatoris ſignificaret poteſtatem, idem iuris, inquit, quod duo Conſules tenẽto. Rurſus idem Liuius Vitelliorum, & Aquiliorum coniurationem deſcribens, Cõſules, inquit, ad deprehendendos legatos, coniuratoſq; profecti domo ſine tumultu, rem omnem oppreſſere: literarum in primis habita cura, ne interciderent, proditoribus extemplo in vincula coniectis, de legatis paululum addubitatum eſt. Et paulò poſt ait, direptis bonis regum, damnati proditores, ſumptúq; ſupplicium, conſpectius eo: quòd pœnæ capiendæ miniſterium patri de liberis conſulatus impoſuit, & qui ſpectator erat amouendus, eum ipſum fortuna exactorem ſupplicij dedit, Et poſtmodum Conſules, inquit, in ſedem proceſſere ſuam, miſsiq; lictores ad ſumendum ſupplicium, nudatos virgis cædunt, ſecuriq; feriunt: cùm inter omne tempus pater, vultuſq;, & os eius ſpectaculo eſſet, eminente animo patrio inter publicæ pœnæ miniſterium. Et ne ſim nimius apertè id probari puto in l. 2. §. 8. & §. 12. ff. de orig. iuris.

4 Et prætores. *Prætorium ius præſidibus conceſſum ſupra probauimus in l. 2. id autem multiformiter*

formiter factum videtur. Aliquando nãque non abſolutam, & plenam poteſtatem prætoriam illis conceſſam legimus, ſed in aliqua parte cõmunicatam, vt iudicium liberale: aliquando ad præſides tranſlatum, in d.l. 2. docuimus. Et fideicommiſſorum quoque iudicia, quæ primò ad prætorem ſolummodo, vt accuratius mortuorum voluntates tueretur, ſpectabant, poſtea prouincialibus etiam magiſtratibus communicata, Suetonius in Claudio ſcribit: dicens iuriſdictionem de fideicomiſſis quotannis, & tantùm in vrbe delegari magiſtratibus ſolitam, in perpetuum, atque etiam per prouincias poteſtatibus demandatam. Poſtea verò generaliter ius honorarium magiſtratibus prouincialibus communitatum, et hac lege noſtra probatur, & ex Tacito atq; Vopiſco ſuprà oſtẽdimus.

Correctorũ. *Diuiſo in ſedes prætorianas im-* 5
perio, ſiue in præfecturas prætorianas, celſasue poteſtates, ſeu poteſtates ſublimes, ſeu miniſteria principalia, ſiue magiſtratus curules, ſiue ſacras ſedes, atq; diæceſes, (has enim nomenclaturas prætorijs attributas apud authores inuenio) eis ab Au-
guſto, ſub cuius ditione atque imperio erãt, diuer- 6
ſi proponebãtur magiſtratus, quos etiã varijs nominibus

minibus appellatos videmus. Quidā enim procon-
ſules,quidā præfecti,comites alij,alij duces,nōnulli
præſides,nonnulli conſulares nominabantur:velu-
ti exēpli cauſa,ſub prætorio Italico quatuor erant
conſulares:videlicet Thuſciæ,Lucaniæ, Campa-
niæ,& Apuliæ,ſiue Calabriæ,de quibus apud Æ-
lium Spartianum, Iulium Capitolium, Flauium
Vopiſcum,& alios frequens eſt mentio.Poſtea ve
7 rò inclinante imperio,hos quatuor Italicos conſula
res correctores appellatos(vt nihil interea de cor-
rectoribus Pannoniæ, Illyrici, Paphlagoniæ & a-
lijs dicam) teſtis eſt Caſsiodorus,qui & Campa-
niæ conſularis, & Lucaniæ correctoris meminit,
lib.3.variarum in epiſt. Theodorici regis Gotho-
rum ad Ioannem V.S.conſularem Campaniæ:et
eodem lib.extat epiſt.eiuſdem regis ad Venantiū,
V.S.correctorē Lucaniæ,& Brutiorum. Et Tre-
bellius Pollio in hiſtoria Triginta Tyrannorū,Cor
rectoris Campaniæ,& Vmbriæ, & Apuliæ mētio
nem facit. Sed & Ammianus Marcellinus lib.
27.hoc tempore,inquit,vel paulò antè,noua porten
ti ſpecies per annonariam apparuit Thuſciam,
id quorſum euaderet prodigialium rerum periti
penitus ignorarunt. In oppido enim Piſtorienſi pro
pe ho-

pe horam diei tertiam, ſpectantibus multis, aſinus tribunali aſcenſo audiebatur deſtinatius rugiens, & ſtupefactis omnibus, qui aderant, quique didicerant referentibus alijs, nulloque coniectante ventura, poſtea quod portendebatur euenit. Terentius enim humili genere in vrbe natus, & piſtor ad vicem præmij, quia peculatus reum detulerat officium ex præfecto, hanc eandem prouinciam correctoris adminiſtrauerat poteſtate, eaq; confidentia deinceps inquietius agitans, multa in nauiculariorum negotio falſo admiſiſſe conuictus (vt ferebatur) perijt carnificis manu, regnante Claudio Romæ.

11. *Martianus libro tertio inſtitutionum.*

Omnia enim prouincialia deſideria, quę Romæ varios iudices habent, ad officium præſidum pertinent.

Eleganter profectò vnica particula, deſideria, *multa notauit Iuriſconſultus, ſiue prouincialia deſideria id eſt, actiones, & requiſitiones prouincialiũ intelligamus. Deſiderare nanq; ſæpè pro requirere ponitur, vt apud Ciceronẽ pro P. Quintio dũ ait, qui in vita rationẽ ſummi officij deſideremus,* 1

 & inſti-

& inſtituta bonorum virorum requiramus: & ad Att. lib. 5. dum hæc inquit, quæ longiorem deſiderant rationem, ſummatim tibi perſcriberem. Siue etiam prouincialia deſideria, hoc eſt, defectus & morbos interpretemur, quale illud eſt, quod menſtruorum irritamenta, deſideria mulierum à bonis auctoribus nuncupantur. Et ophthalmia, ideſt, pruritus oculorum, deſiderium oculorum ab eis appellatur. Plin. quoque lib 27. c. 53. exprimitur, inquit, ſuccus radicis, vtilis & fœminis, & thoracis, præcordiorumq́ deſiderijs: calefacit enim &
2 *cõcoquit, & purgat. Quo etiam modo in. l. fin. ff. ſi libe. ing. eſſ. dicatur, dum ait,* ſiue obſequium deſideretur, *exponendum eſt: ideſt deficiat in eo, qui obſequi, & obtemperare tenebatur: & poſtmodũ, dum dicit,* redditur autẽ alterutro deſiderante, *hoc eſt, deficiente, intelligere oportet.*

12. *Proculus libro quarto epiſtularum.*

Sed licet is qui prouinciæ præeſt, omniũ Romę magiſtratuũ vice, & officio fungi debeat, non tamen ſpectandum eſt quid Romæ factum eſt, quam quid fieri debeat.

Vulgò legitur, non tam, Haloander, non tamen tam

tam, Antonius Auguſtinus lib.4.emend.c.8.probat, frequenter ita loquutos iuriſcõſultos, vt, tam, illud potius ſubaudiatur.

Non tamen ſpectandum eſt. *Locus communis eſt apud Rhetoricos, iudicandum ſit exemplis, nec ne: de quo quandoquidem multa à Cicerone ſunt tradita, in libris de inuentione præcepta, & in orationibus poſita exempla, non meæ ſunt partes, plura verba facere.* Sana quippe ratio etiã exẽplis anteponenda eſt, cui quidem & exempla cõcordant: ſed illa quę tantum digniora ſunt imitatione, quantum excellentiora pietate. *c. ſana. 9. diſtin. Illud verò attentius notandũ, magnam vim eſſe exemplorum, & præiudiciorum in iudicijs. Nam vt optimè Cicero. lib. 4. ad Seruium Sulpitium ait, quod exemplo fit, id etiam iure fieri putant: & pro A. Cluentio, oſtendam, inquit, iudices ea de eo præiudicia eſſe facta ab ipſis iudicibus, à quibus condemnatus eſt, vt non modò ab ijſdem, ſed ne ab alijs quidem vllis abſolui vllo modo poſſit: & poſtea in eadem oratione ait, quid eſt, quod iam de Opianici cauſa plura dicamus? Apud eoſdem iudices reus eſt factus, cùm is duobus præiudicijs iam damnatus eſſet. Denique cùm de argu-* 3

1 (beside "Locus communis"); 2 (beside "Illud verò")

mento, quod in neceſſariũ, & probabile diuiditur, agitur: inter probabilis argumenti partes, comparabile & iudicatũ præcipuè numerantur. Eſt autem comparabile, imaginem, collationem, & exemplũ comprehendens, quod in rebus diuerſis ſimilem aliquam rationem continet. Quod quia non ſimpliciter conuenit, ſed in eo genus, natura, vis, magnitudo, tempus, locus, perſona, opinioq́ conſideranda ſunt, vt appareat ſimile ſit, vel diſsimile, meritò præſes monetur, non ſpectandũ eſſe, quid Romæ factũ ſit, ſed quid fieri debeat. Eademq́ ratio iudica-

4 *ti eſt, quod tribus generibus ſpectatur, religioſo, cõmuni, approbato. Eſt aũt iudicatũ res aſſenſione, aut authoritate, aut iudicio alicuius, ſeu aliquorũ cõprobata, afferens iudicaturis exemplum, quod ſequantur. Quod vt imitentur, primum cõſiderare oportet laudes eorum, qui iudicauerunt: deinde ſimilitudinem iudicati, & cauſæ de qua agitur: iudicatũ quoq́ illud, ſit ne approbatum potius, nõ reprehenſum: poſtremo eandem eſſe rationem, vel maiorem diſponendi in iudicato, quàm ſit in re de qua agitur. Quia verò hæc omnia argumenta ferè impoſsibile eſt probari præſidi in prouincia, earum maximè rerũ, quæ geſta Romæ ſunt, tutius multò eſt,*

iure

iure,et æquitate diſcernere,non rumoribus,et trãſ-
marinis exemplis iudicare. Vndè egregiè in.l.nemo
C.de ſen.et interlo.om.iud.dicitur. Nemo iudex 5
vel arbiter exiſtimet, neque conſultationes
quas non ritè iudicatas eſſe putauerit,ſequen
dum,& multò magis ſententias eminentiſsi-
morum præfectorũ, vel aliorum procerum
(non enim ſi quid non benè dirimatur, hoc
& in aliorum iudicum vitium extendi opor
tet,cùm non exemplis,ſed legibus iudicandũ
ſit) neque ſi cognitionales ſint ampliſsimæ
præfecturę, vel alicuius maximi magiſtratus
prolatæ ſententiæ:ſed omnes iudices noſtros
veritatem,& legum,& iuſtitiæ ſequi veſtigia
ſancimus. *Quæ verba æquitatem profectò præ ſe*
ferunt. Intelligenda tamen ſunt,niſi quæ ſupra no-
tauimus,præiudicium confirmarent: tunc enim li-
cère exemplis iudicare.l.de quibus.ff.de legib.aper-
tè probatur. Illud verò quàm ſit rationi cõſonum, 6
quod Alberic.argumento huius legis docet, plus
ſeruari debere opinionem parui doctoris lege robo-
ratam, quàm magni ſine lege, ſatis res ipſa indi-
cat. Nam quòd Accurſius hoc loco in eos inuehi-
tur,qui in defectum legũ,probationem gloſſarum

inducunt,

inducunt,negari nō poteſt,vrbanè illum ſibi autho ritatem detraxiſſe.

IJ. VLPIANVS *libro ſeptimo de officio proconſulis.*

Congruit bono & graui prȩſidi curare,vt pacata atque quieta prouincia ſit, quam regit. Quod nō difficilè obtinebit, ſi ſollicitè agat, vt malis hominibus prouincia careat, eoſque conquirat:nam & ſacrilegos,latrones,plagiarios, fures cōquirere debet, & prout quiſque deliquerit,in eum animadnertere, receptoreſque eorum coercere,ſine quibus latro diutius latere non poteſt.

1 *Diſcordijs ciuium,ac ſeditionibus labefactari remp. & inteſtino bello dilabi, & penitus interire, nihil neceſſe eſt pluribus vel authoritatibus,vel exēplis oſtendere:cùm ipſum ſummum rerum authorem audiamus dicētem,*regnum omne in ſe diuiſum deſolabitur,& domus ſupra domū cadet. *Meritò igitur bonis, & grauibus principibus, ac magiſtratibus,quibus ciuitates commiſſæ ſunt, congruit curare, vt pacatæ atque quietæ prouinciæ ſint, quas regunt. Quod non difficilè obtinebunt, ſi intellexerint eam eſſe huic morbo*

potiſſimam

potiſſimam adhibendam medicinam, vt malis hominibus prouinciæ careant, quoſcunque vel ſeditioſos: vel ſegnes, ambitioſos, aut de proprio honore minus laborantes ſenſerint, coercentes. Id enim neceſſe eſt rerum publicarum gubernatores intelligãt, donec ciuium conatus compreſſerint, donec perditorum libidinibus obſtiterint, donec denique perniciosam ipſius vrbis ſentinam exhauſerint, non ſolùm releuatam, & quietam eſſe nõ poſſe rempublicam, verùm ijs impunè graſſantibus, tecta ciuiũ templa diuorum, vitam bonorum, vrbem deniq; totam ad exitium, & vaſtitatem vocari, magiſq; illos eſſe pertimeſcendos, qui dum togati nitent vnguentis, fulgent purpura, in foro volitant, ſibi non temperantes, voluptatibus ſeruiunt, quàm micantia inimicorum tela, & ordinatas hoſtium acies. Hi enim cùm apertis tibijs nos petant, facile vel pactione, vel armis repelluntur, illi verò religione aſtringi, lege temperari, metu coerceri vix poſſunt. Inquirẽdi igitur ſunt venefici, caſtigãdi latrones, puniendi ſiccarij, coercẽdi parricidæ, expellendi teſtamentorum ſubiectores, relegandi circunſcriptores, temperandi ganei, gubernandi nepotes, comprimendi adulteri, notandi infames, exhauriendi iuuentutis

uentutis

uentutis corruptores, ſi quis pacatã, & quiet iam prouinciam velit. Quemadmodum enim pictores excellentem aliquam imaginem pingere volentes, purgare primum tabulam ſolent, leuare, ac leuigare, ne quid vmbris, atque tonis impediat, deinde ſimulachrum tot, & tam varijs coloribus illuſtrãt, vt omniũ, inſignis pulchritudinis opus, moueat occulos, & delectet: ſic quoque magiſtratibus, quibus reip. ſalus curæ eſt, inprimis neceſſarium arbitror, malis hominibus prouinciam purgare, abuſus expellere, & iniurioſam cupiditatem, omnium malorum nutricem, & materiem comprimere, vt poſtmodum ſua induſtria bonis humanis ornata, temperantia, fortitudine, prudentia, atque iuſtitia laborata prouincia, omnibus denique virtutibus gemmata, egregij artificis eluceat, & collaudetur opus. Si enim paſtores, bubulci, caprarij, reliquique magiſtri pecorum, vbi primum greges, & armẽta ſuſceperint, id maximè laborant, ſana ab ægrotantibus ſegregare, generoſa ab ignauis ſecernere, mũda ab ſcabioſis ſeparare, ne quæ ſunt pſora corrupta, cætera inficiant, et contagione interimant: quãtò exactior populorum paſtoribus eſt adhibenda diligentia, ne latronum impunitæ rapinæ, & incendia

atq;

atque nequiorum contempta libidines, reliquis ſint audaciæ ſubſidia, & inſtrumenta vitiorum? Conquirere præſes debet ſacrilegos, latrones, plagiarios, et fures, (quos exempli ſolummodo cauſa arbitror, hoc loco à iuriſconſulto nominatos, vel quòd hæc vitia effrenata cupiditas frequẽtiora effecerit) et prout quiſq; deliquerit in eũ animaduertere. Neque enim ignauum, & lentum iudicẽ eſſe decet, neq; expectare, vt hæc ad ſe deferãtur: ſed nocte, ac die, vigilare: primùm ne maleficia fiant, deinde vt malefactis adſit preſtò ſeueritas, & peccata celer ſequatur vindicta. Vt enim à Platone lib. 6. de legib. dicitur, iudex mutus, qui neq; inſtar arbitri, aliquid pluſquã ligantes dixerint, in cauſis diſcutiẽdis percũctatur, nunquã ad ius declarandũ ſufficiẽs erit. Quapropter nec ſi multi ſint, facilè vnquam benè iudicabunt, nec ſi pauci, et ignaui. Tẽpus autem & mora, et frequẽs inquiſitio ad aperiendã cõtrouerſiam conferunt. Qua aperta, pro vt quiſq; delinquerit, in eum iudex, pro vt I. C. ait, animaduertet. Sed & receptatores quoq; eorũ coercere oportere ait, ſine quibus latro diutius latere nõ poteſt. Receptatores vero in malã partẽ ferè ſemper dici, facilè ex Cicerone patet, p Milone: ſuſtinuiſſet, inquit, hoc 2 3

crimen,

crimen,primùm ipſe ille latronum occultator, & receptator locus. Et in L. Piſonem, ait, arma in tẽplo Caſtoris, ò proditor templorũ omnium, vidente te conſtituebantur ab eo latrone, cui templum illud fuit te conſule, arx ciuium proditorum, receptaculum veterum Catilinæ militum, caſtellum forenſis latrocinij, buſtum legum omnium, ac religionum. Et lib. 7. in Verrem, laudatione Mamertinæ ciuitatis derogat, dicens: illud tibi oppidum receptaculum prædæ fuit, illi homines teſtes, cuſtodeſq; furtorum.

4 *Cæterum quæ pœna ſint receptatores puniendi, in l. 1, ff. de recep. docemur, dum ait,* peſſimum genus eſt receptatorum, ſine quibus latere diu nemò poteſt, *& præcipitur vt perinde puniantur, atque latrones. Quàm eandem ſententiam bis apud Platonem reperio, lib. nanque. 6. de legib. omnes, inquit, ſexaginta viri obſeruent: ne de principibus aliquid quicquam tale committat, & qui ſenſit, audiuitq;, ſi non accuſauerit ſimiliter, eadẽq; lege reus ſit, qua qui peccauit. Et lib. 12. ait, ſi quis rem furto ſublatam ſciens receperit, in eadẽ culpa ſit, qua ille, qui furatus eſt. Qui exulẽ, ſeu quemuis huiuſcemodi fugientẽ receperit, moriatur: quippe quem ciuitas amicũ ſibi, vel hoſtem decreuerit,*

*decreuerit, eundem ſibi quiſq; ſimiliter exiſtima-
re debet. Illud verò æquiſsimè decretũ eſt in. l. fin.* 5
*eiuſdem tit. eos apud quos affinis, vel cognatus cõ-
ſeruatus eſt, neque abſoluendos, neque ſeuerè ad-
modum puniendos: non enim par eſt eorum deli-
ctum, & eorũ qui nihil ad ſe pertinentes recipiunt.
De qua re, multiſq; alijs ad receptatores pertinen-
tibus, ex iure ciuili, & Hiſpano, multa ponit Auẽ
daño, de Exeq. mand. 2. p. c. 7. Idem autem & in* 6
*receptãte intimum amicum, habere locum probat
Coraſius de iuris arte. 4. p. c. 22.*

Pacata atque quieta. *Ex hoc fonte deriuata* 7
*eſt. l. 16. tit. 4. p. 3. Cæterum Bart. Alberic. Oroſc.
communiſq; interpretum ſententia, ex his verbis
deducit: poſſe præſidem ciues, prouincialeſq; ſuos
cogere ad faciendam pacem. Quam quæſtionem
agitauere etiam, præter eos quos hoc loco referunt
additionatores, Bart. & Paul. de Caſtro in l. facti
§. qui iuſſu. ff. de his qui no. infam. Bal. & Paul. de
Caſtro in l. ex ſtipulatione. C. de ſent. et interlo. om.
iudi. Eſt autem hæc totius diſputationis ſumma: vt
ſi inter vrbes, aut oppida diſsidium ſit, præſes ſe ſe
poſsit interponere. Idemq; ſit dicendum, priuatis
criminaliter cõtendentibus, ſcilicet iudicis eſſe par-*

te s, illos in amicitiam reducere, modò id poſt impoſitam pœnã, (vt Albericus probat) & poſt punitũ crimẽ faciat. Quòd ſi ciuilis quæſtio ſit, hortari ad concordiam debet, nõ compellere: niſi (vt Oroſcius hîc & Montaluus in. d. l. 16. ſcribunt) vt ſcandalum vitet, vel ſi de re diu litigioſa non liqueat, vel iudex princeps ſupremus ſit.

8 Conquirat. *Huius legis authoritate poſſe fieri inquiſitionẽ generalem, vno ore interpretes omnes conſentiunt. Atq; hinc ortam practicam Bar. ait, quam in principio ſui regiminis, rectores faciunt, generalem ſcilicet inquiſitionem per hanc legẽ. Sed vtrum ex iſta generali inquiſitione, poſsit aliquis cõdẽnari, Innocẽ. & Gabriel de Oſelletis poſſe putãt: Nicolaus, & Oldrald. contra: quorum opinionem veriorem eſſe Bald. ſcribit, & Alberic. ait cõmuniter placere doctoribus, & de facto ſeruari. Itaq; tenendum, ex inquiſitione generali non poſſe ſequi condemnationem, ſed aduerſus eos qui inuenti fuerint culpabiles, ſpeciali inquiſitione rurſus procedendum. In hanc ſententiam ierunt frequenter omnes, atq; hoc iure vtimur.*

§. 1. Furioſis, ſi non poſsint per neceſſarios cõtineri, eo remedio per præſidem obuiã eundum

dum eſt, ſcilicet vt carcere contineantur: & ita diuus Pius reſcripſit. Sanè excutiendum diui fratres putauerunt in perſona eius, qui parricidium admiſerat, vtrum ſimulato furore facinus admiſiſſet, an verò re vera compos mentis non eſſet, vt ſi ſimulaſſet plecteretur, ſi fureret, in carcere contineretur.

14. *Macer libro ſecundo de iudicijs publicis.*

Diuus Marcus & Commodus Scapulæ Tertyllo reſcripſerũt in hæc verba. Si tibi liquidò compertum eſt, Aelium Priſcum in eo furore eſſe, vt continua mentis alienatione omni intellectu careat, nec ſubeſt vlla ſuſpicio, matrẽ ab eo ſimulatione dementiæ occiſam, potes de modo pænæ eius diſsimulare, cùm ſatis furore ipſo puniatur: & tamen diligentius cuſtodiendus erit, ac ſi putabis etiã vinculo coercendus, quoniã tam ad pęnã, quàm ad tutellam eius, & ſecuritatem proximorum pertinebit. Si verò, vt plerunq; adſolet, interuallis quibuſdã ſenſu ſaniore, non fortè eo momento ſcelus admiſerit, nec morbo eius danda eſt venia, diligenter explorabis: & ſi quid tale

compereris, cõſules nos, vt ęſtimemus, an per immanitatem facinoris, ſi cùm poſſet videri ſentire, commiſerit: ſupplicio adficiendus ſit. Cùm autem ex literis tuis cognouerimus tali eum loco, atq; ordine eſſe, vt à ſuis, vel etiam in propria villa cuſtodiatur, rectè facturus nobis videris, ſi eos à quibus illo tempore obſeruatus eſſet, vocaueris, & cauſam tantæ negligentiæ excuſſeris, & in vnumquenq; eorum, pro vt tibi leuari, vel onerari culpa eius videbitur, cõſtitueris. Nam cuſtodes furioſis non ad hoc ſolùm adhibẽtur, ne quid pernicioſius ipſi in ſe moliantur, ſed ne alijs quoque exitio ſint. Quòd ſi committatur, nõ immeritò culpæ eorum adſcribendum eſt, qui negligentiores in officio fuerint.

1 *Tres eſſe delinquendi cauſas, quibus impulſi homines peccent, ab Academia didicimus: voluptatem ſcilicet, atque ignorantiam, & quæ earum medium tenet ira. Quas omnes non ſolùm inſpicere legumlatores & eorum miniſtros iudices oportet, in pœnarum conſtitutione: ſed & ad hos affectus, motus conſiderare neceſſe eſt. Quanuis enim iam ſatis conſtet, cupiditatis ſupremum: iræ medium,*

 ignorantiæ

ignorantiæ infimum eſſe ſupplicium. Sciendum eſt tamen & hanc quoque ignorantiam (quæ in ſimplicem, & duplicem partitur) debere, vel ſeueriori, vel leuiori animaduerſione plecti. Simplicē autem accipere debemus: quæ cùm ipſi ignoranti nota ſit, leuium quidem peccatorum eſt cauſa: duplicem verò vocamus, quando non ignoratione ſolùm quiſpiam detinetur, ſed etiam ſapientiæ opinione inflatus, quæ omnino ignorat, ea ſe ſcire exactè prorſus exiſtimat. Sed & illud quoque aduertendum eſt, moueri animum, & incitari ad has peccādi cauſas, aut vi & apertè, aut clam & cum deceptione, vel nonnunquam vtroque modo: quæ ſunt omnia attentè delictorum vindicibus conſideranda. Rem enim agunt difficilem & diuinū iudicium deſiderantem, cùm de punitione malefactorum cōſulunt. Neceſſe eſt nāq; intelligant, eatenus ſibi faſces, ſecureſq; concedi, quatenus ſaluti reipublicæ congruit, non vt inimicitias, atq; odia proſequantur. Attendenda igitur ſunt ſupradicta, quæ quo plus virium habent, eo magis nos apud iudices vel accuſare, vel excuſare debent. De quibus ſingulis longum profectò eſſet ſigillatim diſſerere, & aduerſus noſtrum in hoc opere inſtitutum. Qua-

2 (margin, beside line 2)

3 (margin, beside line 11)

4 *propter ex ijs præſupoſitis,quod magis ad nos atti*
net deſumentes,eam arbitramur huius diſpoſitio
nis eſſe rationem,quòd furioſus non ſolùm ignora-
tione peccat,ſed & ignorantiam ira impellit: imo
verius ab irata ignorantia vi ad peccatum im-
5 *pellitur. Hoc eſt enim inter ſanæ mentis homi-*
nes, & dementes, atque furioſos diſcrimen,
quòd quanuis ambobus voluptas, ira, & igno-
rantia ſint offendendi irritamenta, tamen ſani
ideo puniuntur, quia ſponte vincuntur ab affe-
ctibus, quibus dominari ratione poſſent: furio-
ſis verò ideo indulgetur, quia inuiti, & relu-
6 *ctantes ſuperantur. Quid autem ſi huius nego-*
tij rationem ad cæleſtem, ſupremamque ſapien-
tiam referamus? Nõne quantò magis ad Deum,
rerum omnium cauſam, acceſſerimus, tantò pro-
pius legum principium, & originem, iuriumque
puriſſimum fontem, incomprehenſibilia iudicia
ſcaturientem deguſtabimus? Duarum igitur
partium, ſine quibus rempub. contineri non poſ-
ſe, ſuprà oſtendimus, bipartiti miniſtri ſunt.
Quidquid enim præmij, vel ex voto diuina pro-
uidentia concedit, vel præueniendo impartitur,
miniſtris id ſacerdotibus plerunque fit, qui di-
ſpen-

ſpenſatores ſacramentorum, mediatores ſunt Dei & hominum. Alterius autem partis, quæ ad pœnas improbis infligendas pertinet, miniſtros ſæpè, ignorantes prorſus quid agant, vel etiam inuitos, à ſummo iudice conſtitui, conſtat. Nonne vides qualiter. 3. reg. 22. quamuis rex Iſrael mutato habitu ingrediatur bellum, tamen illud eueniat, vt vir quidam tendens arcum, & in incertum ſagittam dirigens, caſu percutiat regem Iſrael inter pulmonem, & ſtomachum, nempe vt adimpleatur quòd ſibi à Michea propheta domini prædictum fuerat, caſurum ſcilicet illum in Ramoth Galaad? Rurſus. 4. reg. 7. iuxta Heliſæi verbum, nonne dux ad portam Samariæ conſtitutus, à prætereunte populo conculcatus, & contritus, incredulitatis pœnas dedit? Sunt igitur ſæpenumero diuinæ iuſtitiæ vindices, ij quos cædes abſque animi propoſito committere videmus. Qui non ſolùm caſtigandi nòn ſunt, verum & eis, iubente domino Deut. 4. & 19. conſtituendæ ciuitates ſunt, vbi poſſint euadere, vt non effundatur ſanguis innoxius in medio terræ. Meritò ergo in lege noſtra decrètum eſt, de pœna eorum, qui non òdio, ſed mentis alienatione peccaſſe

 noſcuntur,

noſcuntur, poſſe diſsimulari. Id aũt intelligendum eſt, vt pro dementiæ gradu, ſit etiam indulgentiæ
7 locus. Quod vt facilius cognoſcatur, ſcire oportet, quod nos propriè furorem dicimus, hoc eſt, mentis ad omnia cæcitatem, id à græcis parum hac in re verbo valentibus, μελαγχολίαν nominari: quaſi verò atra bile ſolùm mens, ac non ſæpè vel iracundia grauiore, vel timore, vel dolore moueatur. Huius autem (vtcunque libeat appellare) plures à Paulo Æginèta, reliquiſque medicinæ profeſſoribus, enumerantur ſpecies. Interque reliquas alienatio quædam mentis ſine febre, quæ occupante cerebrum, intellectus ſedem, melancholico humore, magna ex parte prouenit: nonnunquam ipſomet cerebro per ſe affecto, interdum verò vniuerſo corpore commutato. Sed & alia quædam melancholiæ ſpecies èſt, quæ flatuoſa, & hypocondriaca, à præcordijs nuncupatur. Quarũ omnium ſpecierum eædem, communeſque pariter omnium ſunt notæ: metus, mæſtitia profunda, hominum odium, & auerſio. Ex quibus ſunt, qui ſe ſe animalia quædam bruta, & ratione exortia eſſe autument, & æmulentur voces eorum. Alij verò figulina ex argilla etiam vaſa ſe putant, & ne

commi-

comminuantur, expaueſcunt. Alij mortis deſide-
rio tenentur. Quidam contra, mortis formidine
miſerrimè torquentur. In aliquibus riſum perpe-
tuum, & in alijs luctum cum fletu cernere eſt.
Nonnulli incitari ſeſe maiore quodam numine vi
dentur, vaticinanturque futura, haud aliter
quàm diuini, aut numine afflati. Et vt idem Pau
lus ait, ſi quando præfatæ plus æquo flauæ bilis,
in atram facta fuerit permutatio, μανία *ideſt fu-*
rioſam dementiam inferre aſſolet, in qua fero-
cius, quàm in melancholia, more ferarum, ſæ-
uiunt: adeo vt ſi qui incautius circa eos verſen-
tur, violenta manu vapulent. Qua de re multa
Cornelius Celſus lib. 3. cap. 18. Quæ omnia eo di- 8
cta fuerint, vt intelligamus hos miſeros homines,
onerare aſperioribus coertionibus ſuperuacuum
eſſe, quinimo è contrario vnunquemq; eorum, ge-
rere pro cuiuſque natura, ſi ſanos illos volumus,
eſſe neceſſarium: ſæpiuſq; quod ſine noſtro dam-
no fiat, aſſentiendum, quàm repugnandum, pau-
latimque & non euidenter ab ijs quæ ſtultè dicen-
tur, ad meliora mentes eorum abducendas. Si
qui verò inter eos ſunt, qui violentius ſe gerant,
vinciri primùm conuenit, ne vel alteri, vel ſibi no-

 ceant,

ceant,ad cognatoſque et gentiles,vt prouerbio dicitur, deducendi. Quod expreſſè his duabus legibus præcipitur, & idem ſtatuit Plato lib. 11. de le-
9 *gibus, dicens. Nemo furioſus palàm in vrbe cernatur,ſed furioſum propinqui domi quomodocunq; poßint,cuſtodiant. Quod niſi fecerint, multentur, qui maximi cenſus ſunt, drachmis centum, ſiue ſeruum,ſiue liberum minus diligenter cuſtodiant: qui ſecundi, quatuor de quinque minæ partibus: qui tertij, tribus: & duabus,qui quarti. Quod notare oportet, ad poſtremam huius capitis partem. Ego ad hæc, ſi cuſtodum fortè negligentia, quid acrius à furioſo committeretur, quale eſt*
10 *parricidium,ut in lege hac,crederem cuſtodes, vel fuſtibus caſtigari poſſe,argumento l.nam ſalutem ff. de offic. præfect. vigi. dum ait,* & quia plerunque incendia culpa fiunt inhabitantium, aut fuſtibus caſtigat eos, qui negligentius ignem adhibuerunt, aut ſeuera interlocutione comminatus, fuſtium caſtigationem remittit. *Quam arbitror notabilem eſſe diſpoſitionem, & peregrinam,quod etiam vbi non eſt dolus, ſed culpa præſumpta, aut negligentia,puniri quis poſſit corporaliter: eſt nanque cōmunis regula in contrarium,*

trarium, de qua per doctores, in l. oſſa. §. fin. ff. de relig. & ſump. fune. et in. l. igitur. §. infans. ff. de lib. cauſ. Quod verò ad ipſos furioſos attinet, ſi quid leuius manu commiſerint, poſſe præſidem de modo pœnæ eorum diſsimulare, Diuus Marcus, & Cōmodus Scapulæ Tertyllo reſcripſerunt: cùm ſatis furore ipſo puniantur: à Deo nanque immortali, quæ maior homini eſt pœna, furore, atque dementia? Niſi fortè in tragædijs, quos vulnere, ac dolore corporis cruciari, ac conſummi videmus, grauiores Tonātis iras ſubire, quàm illos qui furentes inducātur, putamus. Non ſunt profectò Philoctetæ eiulatus, gemituſq; tam miſeri, quanquā ſunt acerbi, quàm exultatio Athamantis, & quàm ſomniū matricidarum. Nam corporis quidem noſtri infirmitas multos ſubit caſus per ſe, deniq; ipſum corpus tenuiſsima de cauſa ſæpè cōficitur, ſummi vindicis tela in impiorum mentibus figuntur. Quare miſeriores ſumus, cùm in omnē fraudem rapimur oculis, quàm ſi omnino oculos nō haberemus. Si verò immane aliquod facinus cōmiſſum ſit, excutere diligenter oportet, ſit ne ſimulatione demētiæ commiſſum. Portentum ſiquidem, atque mōſtrum certiſsimū eſt, eſſe aliquem humana ſpecie, & figura, 11

qui

*qui tantum immanitate beſtias vicerit, vt pro-
pter quos hanc ſuauiſsimam lucem aſpexerit, eos
indigniſsimè luce priuarit: cùm etiam feras inter
ſe, ſepartus atque educatio, & natura ipſa conci-
liet. Quòd ſi ſenſu ſaniore ſcelus admiſſum ſit,
eoque momento, cùm poſſet videri ſentire, com-
miſſum, nullam dari morbo veniam, ſed merito
12 affici ſupplicio reum, leges præcipiunt. Verùm
quæ pœnæ, quæ tormenta, qui cruciatus tanto erunt
ſcelere digna? Solon prudentiſsimæ ciuitatis ſa-
pientiſsimus, cùm interrogaretur cur nullum ſup-
plicium conſtituiſſet in eum, qui parentem necaſ-
ſet, reſpondit ſe id neminem facturum putaſſe.
Plato autem lib. 9. de legibus, vltimis ſupplicijs,
cædis, impietatis, ſacrilegij ſubiectum eſſe huiuſmo
di hominem docet, qui ſacrilegio, genitoris animã
abſtulit. Quare ſi poſsibile eſt, inquit, ſæpius ali-
quem mori, iuſtiſsimum eſt ſæpius parricidam in-
terfici. Si tamen liquidò cõſtiterit, furioſum eo or-
dine, atque eo loco fuiſſe, vt nulla putetur ſuſpicio
ne, matrem ab eo ſimulatione dementiæ occiſam,
poſſe iudicẽ de modo pœnæ eius diſsimulare, noſtra
lex docet, & idem Plato lib. 9. de legibus in fine iu-
bet. Et tamen diligẽtius cuſtodiẽdum Modeſtinus
iuriſcon-*

iuriſconſultus ait,in.l.pœna parricidij.ff.ad.l.Põp. de parricid.§.fin.dicens. Sanè ſi per furorem ali quis parentem occiderit,impunitus eſt,ut diui fratres reſcripſerunt,ſuper eo,qui per furo rem matrem necauerat. Nam ſufficire furore ipſo eum puniri,diligentiuſque cuſtodiendum eſſe,aut etiam vinculis coercendũ. *Quoniam vt in lege noſtra refertur, tam ad pœnam, quàm ad tutellam eius,& ſecuritatem proximorũ pertinebit. Quib⁹ verbis probari videtur,carceres* 13
in pœnam dari poſſe: idq; apertè à Cicerone cõfirma tur lib.7.in Verrem,dum ait. Dicet rempublicam adminiſtrari ſine metu,ac ſeueritate nõ poſſe. Quæ ret quamobrem faſces prætoribus præferãtur? cur ſecures datæ? cur carcer ædificatus? cur tot ſupplicia ſint in improbos more maiorum conſtituta? Et idẽ Cicero in.L.Catilinã ad Quirites, ſentiet, inquit,in hac vrbe eſſe conſules vigilantes,eſſe egregios magiſtratus,eſſe fortem ſenatum,eſſe arma, eſſe carcerem,quem vindicem nefariorum, ac maniſeſtorum ſcelerũ maiores noſtri eſſe voluerunt. Et idẽ Cicero pro.L.Sylla ait, quis de C. Cethego, atque eius in Hiſpaniam profectione,ac de vulne re Q.Metelli Pij cogitat,cui non ad illius pœnam,

carcer

carcer ædificatus eſſe videatur? Omitto. l. 1. §. fin. ff.
de alea. luſ. & aleat. &. l. capitalium. §. eum qui
imaginem. ff. de pæn. et. l. ſenatuſconſulto. ff. de in-
iurijs, quibus omnibus hæc eadem ſententia com-
probari videtur. Eſt tamen è regione text. contra-
rius in. l. aut damnum. §. ſolent. ff. de pænis. vbi dici
tur. Solent etiam præſides in carcerem conti-
nendos damnare, vt in vinculis contineãtur,
ſed id eos facere non oportet, nam huiuſmo-
di pænæ interdictæ ſunt: carcer enim ad con-
tinendos homines, non ad puniendos haberi
14 debet. Pro quorum intelligentia, ego dupliciter pæ-
narum impoſitionem conſiderandam cenſeo: aut
enim pæna imponitur propter vtilitatem publicã,
ne ſcilicet peccandi detur occaſio, aut punitur quis
non principaliter reſpectu publicæ vtilitatis, vt cæ-
teris exemplo ſit, ſed potius vt ipſe reſipiſcat, ad
melioremq; frugem vitæ redeat. In prima ſpecie nõ
licet carcerem in pænam dare, cùm peccatis ſingu-
lis, pænæ ſint ſingulis legibus ſtabilitæ. Vbi verò ſa-
lus priuati quæritur, non indecens eſt, illum carce-
15 ribus coercere. Atq; hinc eſt, quòd cùm pænæ iuris
canonici, non ſint in vltionem delicti principaliter,
ſed ſimpliciter imponantur, vt delinquens lucrifa
ciat

ciat animam pœnitentia, pœna perpetui carceris à iure canonico permiſſa eſt. c. vt commiſſum. §. vt eorum. de hæret. lib. 6. c. ſi epiſcopus 50. diſt. c. ſi ille 7. q. 1. c. peruenit. 16. q. 6. Differt igitur cuſtodia 16 *de qua lex hæc loquitur, ab carcere de quo dict. l. aut damnum, quòd hic & ſaluti furioſi, & ſecuritati proximorũ conſulitur: illic nocẽtes homines nõ puniuntur, ſed ad pœnam ſeruantur. Atq; id arbitror à Platone ſignificari, de legibus lib. 10. dũ ait. Tres ſunc in ciuitate carceres, vnus pluribus cõmunis, in foro rerum venalium, vbi multi, ne fugiant, cuſtodiantur. Alter vbi cœtus eorum fit, qui nocte cõgregantur, correctionis nomine appellatus. Tertius in media regione, vbi quàm maximè deſertus ſyluestriſq; locus eſt, ſupplicij nomine notatus.*

15. *Marcianus libro primo de iudicijs publicis.*

Illud obſeruãdum eſt, ne qui prouinciã regit fines eius excedat, niſi voti ſoluendi cauſa, dũ tamen abnoctare ei non liceat.

Qui prouinciam regit. *Conſonat. l. nullus C. de off. rect. prou. Nec obeſt. l. 15. clariſsimis. C. de dignitatibus lib. 12. vbi datur clariſsimis & ſpectabilibus copia diſcedẽdi, etiã ſine comeatu. Quã* 1

conſti-

conſtitutionem, Vacca & Coraſius de his intelligunt, qui non gerunt adminiſtrationem. Vel illud de ſenatoribus accipe, quibus prohibuerat Auguſtus, Italia excedere, vt auctor eſt Dion. lib. 52.

Voti ſoluendi cauſa. *Vt intelligamus, quid ſit*
2 *quod iuriſconſultus ait, præſidi non licere fines prouinciæ excedere, niſi voti ſoluendi cauſa, illud primum neceſſe eſt ſcire, quæ fuerit tanta votorum ſoluendorum religio, vt hac vna occaſione, prouinciam regenti id liceat, quod in reliquis omnibus lege ſibi nouimus interdictum. Fuit autem Romanis mos, vt proconſules, reliquiq; magiſtratus profecturi in prouincias, prius in vrbe, in Capitolio ſcilicet, palam ſolenni ritu vota nuncuparent immortalibus Dijs, vel templa numinibus, vel dona templis, vel ludos populo vocentes, ſi re feliciter geſta reuertentur. Quæ quidem vota, illis abſentibus, in tabulas referebantur, & in reditum vſque ad ſeruabantur. Id licet innumeris hiſtoricorum teſtimonijs poſſit probari, pauca ſi Liuij verba recitauero, omnibus me feciſſe ſatis arbitrabor: is lib. 2. Deca. 5. ita ait. Eo die decreuit ſenatus. C. Popilius Cos, ludos dies decem Ioui Optimo Maximo voueret: donaq; circa omnia puluinaria dari, ſi reſp. decem*

annos

annos in eo ſtatu fuiſſet. Ita vt cenſuerant in Capitolio vouit Cos. ludos fieri, donariaque dari. Et eodẽ lib. 2. Per hoſce, inquit, dies. P. Licinius Cos, votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab vrbe profectus eſt. Hæc illa. Quod vbi factum fuerat, iterum vrbẽ ingredi, nefas habebatur. Cicero lib. 7. in Verrem. Alterum quòd cùm paludatus exiiſſet, votaq; pro imperio ſuo, cõmuniq; Pop. Rom. nuncupaſſet, noctu ſtupri cauſa, lectica in vrbem introferri ſolitus eſt, ad mulierem nuptam vni, propoſitam omnibus, contra fas, contra auſpicia, contra omnes diuinas, atque humanas religiones. Quibus verbis apertè docemur, magiſtratibus, votis nuncupatis, ab vrbe egreſſis, non licuiſſe in vrbem redire, donec ſibi ſucceſſum eſſet: quòd ſi contra feciſſent, cenſeri illos contra auſpicia feciſſe. Manſit autem conſuetudo hæc nuncupandi vota, magiſtratibus in prouincias profecturis, pro æternitate imperij, ſaluteq; Auguſtorum, vſq; ad tempora inclinationis imperij: eo verò procedente, huiuſmodi mos ita familiaris eſt factus, vt paſſim, vel pro imperatorum, cæterorumq; magiſtratuũ, vel pro ſua, ſuorumq; ſalute, vota quiuis ſuſceperit. Cuius rei plurima ſunt ac vetutiſſima

 exempla,

exempla, & refertos innumeros antiquiſſimos lapides, huius rei titulis teſtibus, Romæ videmus.

3 *Præſtandorum igitur votorum religionem, huius diſpoſitionis cauſam, rationemq; eſſe puto, quòd ſcilicet, quæ ſemel quiſque ſuſcepiſſet vota, nefas erat negligenter, non ſuſcepto & tempore, & loco perſoluere. Oportet nanque eos qui aliquid boni agunt, non ſegniter & oſcitanter facere, ſed incunctanter quicquid impedire ſanam, & religioſam mentem poteſt, amoliri. Eſt autem optimum opus & ſanè excelſum, ſummi boni perpetua & ſine intermiſſione placatio. Ideoq́; præceptũ extat æquiſſimum. Deut. 23.* Cùm votum voueris domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. *Quæ vna occaſione, fines licebat magiſtratibus prouinciæ excedere, non tamẽ pernoctare, hac verò ceſſante, crimen erat exire de prouincia, vt & hac lege oſtenditur, & huius peccati reum Piſonem Cicero accuſat, dicens. Hic ſi mentis eſſet ſuæ, niſi pœnas patriæ, dijſq; immortalibus, eas quæ grauiſſimæ ſunt, furore, atq; dementia penderet, auſus eſſet? mitto exire de prouincia, educere exercitum, bellum ſua*

ſponte

ſponte gerere, in regnum iniuſſu populi, aut ſenatus accedere, quæ cùm plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia maieſtatis, Iulia de pecunijs repetundis, planiſſimè vetant.

Dum tamen abnoctare ei nõ liceat. *Quod*
Accurſius putat, hodie voti ſoluendi cauſa licere 4
magiſtratui extra prouinciam abnoctare, quia diuinæ literæ aiunt, vouete & reddite. *Rauenas & Albericus cũ diſtinctione accipiunt. Aliud enim in officialibus perpetuis eſſe, aliud in temporalibus, ſcribunt: rurſus aliud ſi ante ſuſceptum magiſtratum, votum nuncupatum ſit, aliud ſi poſt. Vacca ſine diſtinctione improbat: quia anterius ſuſceptæ obligationi, per ſubſequens votum præiudicare nõ poteſt. Nec eſt audiẽdus, ſi dicat ſe prius vouiſſe, debuerat enim de ea re certiorem facere principẽ: vel voti ſolutionem à pontifice impetrare.*

16. *Macer libro primo de officio præſidis.*

Senatuſconſulto cauetur, vt de his, quæ prouincias regentes, comites, aut libertini eorũ, antequam in prouinciam venerint, contraxerũt, parciſsimè ius dicatur, ita vt actiones quæ ob eã cauſam inſtitutæ non eſſent, poſteaquã

lam,curiamue nominamus:& quicunq; primi ordinis viri Auguſtũ comitabantur,dicebãtur comites,vt ex hiſtorijs apparet. Quos omnes , vtpote ſibi comites,ac familiares,& libertos,magiſtratus reipublicæ præſtare tenentur,ne gratia freti prouinciales vexẽt,putentq; quidquam plus iuris eſſe ſibi in ſubſellijs,quàm vel obcuriſſimo prouinciali. Ex quo optimè à Cicerone ſcriptum lib.1. ad Q. Fra. epi.1.his,inquit,in rebus iam te vſus profectò erudiuit,nequaquã ſatis eſſe ipſum haſce habere virtutes,ſed eſſe circunſpiciendũ diligenter, vt in hac cuſtodia prouinciæ,non te vnum , ſed omnes miniſtros imperij tui,ſocijs & ciuibus,& reipub.præſtare videare. Et Actio.4.in Verrẽ miniſtros,dixit, manus eſſe prætoris,et omnẽs illorũ ſordes,ad illius vel cupiditatem,vel ignauiam referendas.

Poſteaquam quis eorum prouincia exceſſerit. *Hinc colligit Albericus,legem hãc in officialibus annalibus locum ſortiri:ſecus autem in magiſtratibus perpetuis,vel dubijs,qui æquiparantur perpetuis:& quòd officiales poſſint agere , & conueniri,dicit eſſe argumentum bonum in.l. præſidis ff.ſi cer.pet.quia aliàs eſſet magnum periculum in mora. Quibus verbis innuere videtur præſides* 2

prouinciæ annales fuiſſe. Alci. contra lib. de magiſtratibus: ſanè, inquit, proconſulū magiſtratus annuus, præſidum certus finis non erat, ſed in officio perſeuerabant, donec ſucceſſor à Cæſare mittebatur: & in. l. præſidis. ff. ſi cer. peta. nu. 3. ait, procōſules quidem, & prætores annui erant, præſides verò prouinciarum ad libitum Cæſaris conſtituebātur. Ego ſi tempora diſtinguantur, vtrumq; verum dicere arbitror: initio enim imperij præſides non temere mutari ſolitos, ſed potius, vt ex Capitolino in Pio colligitur, in ſeptenos, nouenoſq; annos in prouincijs bonos præſides ab Auguſtis detineri ſolitos, ſcire oportet. Quinimo Tyberij mos fuit continuare imperia, ac pleroſq; ad finem vitæ, in eiſdem exercitibus, aut iuriſdictionibus habere. Poſtmodum verò inclinante imperio, vt Caſsiodorus lib. 6. author eſt, recturæ prouinciarum duntaxat in annum concedebantur: & idem Caſsiodor. lib. 7. in formula præſidatus. Prudenter, inquit, omnimodis inſpexit antiquitas, prouinciarū dignitates annua ſucceſsione reparari: vt nec diutina poteſtate vnus inſoleſceret, & multorum prouectus gaudia reperirent. Sufficit enim vnicuiq; diſceſsiſſe laudatum, quia dum tempus poteſtatis prolixū queritur, culparum

parum

parum opprobria nõ vitantur. Illa enim vel in breuitate declinare mirabile eſt, dum frequenter & his ſurripiunt, qui à faſcibus ſub velocitate diſcedunt. Annus vniuerſus & ad declaranda cõſcientia bona ſufficit, & facilius ſe ab errore cuſtodit.

17. *Celſus libro tertio digeſtorum.*

Si fortè præſes prouinciæ manumiſerit, vel tutorem dederit, priuſquam cognouerit ſucceſſorem aduenisse, erunt hęc rata.

Si fortè præſes prouinciæ. *Hoc caput, non in ordinario ſolũ habere locũ, ſed etiã in delegato, Baldus rectè putat, atq; idẽ ſentire videtur Albericus.* 1

Manumiſerit. *Ideſt, vt Accurſius ait, auctoritatem conſiliumq; præſtiterit manumittentibus.*

Vel tutorem dederit. *Exempla voluntariæ iuriſdictionis, non contentioſæ, legẽ iſtã propoſuiſſe exiſtimo, quia litib⁹ frequẽtius præſides, iudices dare ſolerent, nõ aũt manumiſſiones, adoptiones, tutorũ dationes delegare. Vndè in l. 2. ff. de off. proconſ. dicitur.* Apud legatum proconſulis nemo manumittere poteſt, quia non habet iuriſdictionem talem. *et in l. 3. ſubiungitur.* nec adoptare poteſt, omnino enim non eſt apud eũ legis actio. *Aliàs quæcunque à præſidibus geſta ſunt,* 2

priuſquam cognouerint ſucceſſorem adueniſſe, meritò rata habetur. Nec ſolùm quæ gratiæ ſunt: ſed, vt Eguinarius ait, & quæ iuſtitiæ, & neceßitatis. Vnde argumento huius legis Coraſius, in ſacerdotiorũ paraphraſi. 2. p. cap. 8. ſcribit, quòd ſi à vicario reuocationem ignorante, collatum fuerit beneficium, tenet collatio: quod pluribus exemplis ipſe confirmat.

Priuſquam cognouerit. *Quòd ſi ſimulans ſe neſcire ſibi ſucceſſum, præſes ius reddat, non ſolùm ille iniquè agit, verùm & ſucceſſor iniuriam pati dicitur. Cicero lib. 5. ad Att. epiſt. 17. Appius noſter cùm me aduentare videret, profectus eſt Tarſum vſque Laodicea, ibi forum agit, cùm ego ſum in prouincia: quam eius iniuriam nõ inſector: ſatis enim habeo negotij in ſanandis vulneribus, quæ ſunt impoſita prouinciæ. Acriuſq; ad eundem Appium Pulchrum prædeceſſorem ſuum in prouincia, Cicero lib. 3. epiſtolarum ſcribens quæritur, equidẽ, inquit, maleuoli homines (latè enim patet hoc vitium, & eſt in multis) ſed tamẽ probabilem materiam nacti ſermonis, ignari meæ conſtãtiæ, conabantur alienare à te voluntatem meam, qui te forum Tarſi agere, ſtatuere, multa decernere, iudi*

care

care dicerent, cùm poſſes iam ſuſpicari tibi eſſe ſucceſſum: quæ ne ab ijs quidem fieri ſolerent, qui breui tempore ſibi ſuccedi putarent. Vndè arbitror an ſam. l. obſeruare. §. rectè ff. de offi. procõſ. diſponendi datam, dum ait. Rectè autẽ & ordine faciet, ſi edictum deceſſori ſuo miſerit, ſignificetq; qua die fines ſit ingreſſurus. Plerunque enim incerta hęc, & inopinata turbant prouinciales, & actus impediunt.

Succeſſorem aduenisſe. *Succeſſorẽ aduenisſe intelligere debemus, eo iam prouinciã ingreſſo, nõ antè. Meminiſſe enim oportet, quod in. l. 10. ff. de off. procõſ. ſcriptũ eſt,* vſq; ad aduẽtum ſucceſſoris, omnia debere procõſulem agere, cùm ſit vnus proconſulatus, & vtilitas prouinciæ exigat eſſe aliquẽ, per quẽ prouinciales negotia ſua explicent. Ergo in aduentũ ſucceſſoris debet ius dicere. *Quibus verbis monſtratur legem noſtram, non ſolùm in actibus voluntariæ iuriſdictionis veram eſſe, ſed & in cõtentioſa procedere: quod apertè indicatur illis verbis,* ergo in aduentum ſucceſſoris debet ius dicere. 4

Erunt hæc rata. *Nimirum quia hoc loco, ignorans poteſt, quod nõ poſſet ſciens. Quanquã aliàs* 5

deterior ignorantis cõditio ſit,in.l.Labeo.ff.de vſu cap.ſcientiam vel ignorantiam nõ eſſe de ſubſtantia negotij, Accurſius,Bartolus reſpõderunt,idem Oroſcius ſcribit,Albericus verò multipliciter diſtinguit. Quod autem Vacca hac lege probari putat,proconſulem poſtquam ei ſucceſſum eſt in prouincia,non habere voluntariã iuriſdictionem,quãuis inſignia imperij retineat,quicquid Accurſius contradicat in.l.fin.ff.de off.proconſ.hunc nodum, ſuprà in.l.3.explicaſſe me arbitror.

18. *Modeſtius libro quinto regularum.*

Plebiſcito cõtinetur,vt ne quis pręſidum munus donum caperet, niſi eſculentũ, potulentuũe,quod intra dies proximos prodigatur.

1 Plebiſcito cõtinetur. *De repetundis latæ fuerunt leges Acilia,Cæcilia,Calpurnia,Cornelia,Iulia,Seruilia,Vatinia,aliaq́ de quibus Paulus Manutius,& Hotomanus multa ſcripſere: quam earum Modeſtinus intelligat, an potius de aliquo alio plebiſcito agat, non liquet.*

2 Vt ne quis præſidum. *Huius decreti æquitatem auget,ſplẽdidum præſidibus aſſignatum ſtipendiũ, ne vlla neceſſitate excuſari poſſint, ſi quid minus*

integre

integrè geſſerint. Eadem enim lege Iulia repetũdarum vindice, fœnum magiſtratibus concedebatur, vt probatur ex Cicerone lib. 5. ad Att. epi. 16. dum ait. Scito, nõ modo nos fœnum, aut quod de lege Iulia dari ſolet, nõ accipere, ſed ne ligna quidem, nec præter quatuor lectos, et tectum, quenquã accipere quicquã. Tranſita quoq;, eadem lege Iulia cõceſſa, idem Cicero, eodem lib. epi. 21. innuit dicens. L. Tullium legatum, Iulia lege, tranſita ſemel tantum in die accepiſſe, non vt alij ſolebãt omnibus vicis. Honorarium etiam proconſulibus olim in prouincias aduenientibus, honoris loco, veluti benè ominandi gratia, dari ſolitum Budæus probat, in dicta. l. ſolent. §. quantum. Pecuniam quoq; anniuerſariã, pro cẽſu, prouincias magiſtratibus dare in vſu fuiſſe, Cicero docet lib. 5. ad Att. epi. vlt. Homines, inquit, nõ modò nõ recuſare, ſed etiã hoc dicere, ſe à me ſoluere: quod .n. prætori dare cõſueſſent, quoniã ego non acceperã, ſe à me quodammodo dare, atq; etiã minus eſſe aliquanto in Scaptij nomine, quã in vectigali prætorio. Stipendiũ verò à Cæſaribus quotãnis præſidibus datũ, Lãpridius in Alexãdro ſcribit dicens. Iudices cùm promoueret exẽplo veterũ, et argẽto & neceſſarijs inſtruebat: ita vt præſides

pro-

prouinciarũ acciperent argẽti pondo vicena, phialas ſenas, mulos binos, equos binos, veſtes forenſes binas, domeſticas ſingulas, balneares ſingulas, aureos centenos, coquos ſingulos, & ſi vxores non haberent, ſingulas concubinas, quòd ſine his eſſe non poſſent: redditurì depoſita adminiſtratione, mulos, equos, muliones, et coquos: cætera ſibi habituri, ſi benè egiſſent, in quadruplum redditurì ſi malè. Quibus & illud addendũ eſt, quod in lege noſtra conceditur, et in. c. ſtatutum. §. inſuper de reſcriptis lib. 6. vbi ſi propter cauſam ſibi commiſſam, contigerit extra domiciliũ proficiſci, moderatas expenſas à partibus exigere, iudici permittitur.

3 Munus donumue caperet. *Paulus iuriſconſultus in. l. inter. ff. de verb. ſig. ſcribit. Donum inter & munus hoc intereſſe, quod inter genus & ſpeciẽ.* Nam genus eſſe donũ, Labeo ait, vel à dãdo, vel à donando dictum, munus ſpeciem. Nam munus eſſe donum cum cauſa, vt putà natalitium, nuptiarum. *Et Martianus in. l. munus: ff. de verb. ſign.* Munus propriè eſt, *inquit*, quod neceſſario ſubimus, lege, more, imperióue eius, qui iubendi habet poteſtatem. Dona aũt ꝓpriè ſunt, quę nulla neceſsitate, iure, officio,

ſed

ſed ſponte præſtantur, quę ſi non præſtentur, nulla reprehenſio eſt & ſi præſtentur, plerunque laus eſt. *Quod amplius ibi interpretatur Alciatus, et lib. 3. Diſpunct. cap. 13. Quanquam vel ipſos iuriſconſultos, de hac re Franciſcus Floridus reprehendat, libro de iuris ciuilis interpretibus. Aliter quoque dona à muneribus diſtinguit Philo Iudæus lib. 2. legis allegoriarum. Obſerua, inquit, dona differre à muneribus. Jlla enim magnitudinem perfectorum bonorum præ ſe ferunt: quæ Deus perfectis donat gratuita: hæc intra paruũ modũ cõtrahuntur, quorũ participes fiũt generoſi exercitatores proficientes adhuc. Quam eandem differentiam, idem Philo iterum repetit libro de Cherubin, & flammeo gladio.*

Niſi eſculentum potulẽtumue. *Ideſt quod ad eſum & potum pertineat, præter ea, quæ illis cõceſſa quoque ſuprà oſtendimus. Jdem iure pontificio conſtitutum eſt à Bonifacio octauo in dicto. c. ſtatutũ. §. inſuper. de reſcript. lib. 6. Iure ciuili Hiſpano, etiam eſculentis & potulentis, iudicibus ſalariatis interdictum eſt: vt hoc loco Oroſcius, Villadiego de Hereticis, & Auendanius de exeq. mand. reg. hiſp. 1. p. cap. 2. probauerunt: idem eſſe de iure* 4

iure cōmuni, ex imperatorũ placitis cōtendentes.
Quod intra dies proximos prodigatur.
5 *Proximos dies, alij duos, alij tres interpretantur. Albericus hic, & pontificij iuris gloſſagrophi in dicto. §. inſuper, ab iudicis id arbitrio pendere, pro qualitate perſonarum, rectè ſcribunt.*

19. Calliſtratus libro primo de cognitionibus.

Obſeruandum eſt ius reddenti, vt in adeundo quidem facilem ſe prębeat, ſed contemni nō patiatur. Vndè mādatis adijcitur, ne præſides prouinciarũ in vlteriorē familiaritatē prouinciales admittant. Nam ex conuerſatione ęquali contemptio dignitatis naſcitur. Sed & in cognoſcendo, neq; excandeſcere aduerſus eos, quos malos putat, neq; precibus calamitoſorum inlacrimari oportet. Id enim nō eſt cōſtātis & recti iudicis, cuius animi motum vultus detegit. Et ſummatim ita ius reddi debet, vt auctoritatē dignitatis ingenio ſuo augeat.

Decreueram, illuſtriſſimè princeps, cum ad huius legis interpretationem vētum eſſet, iudicem ab ipſis, quod aiunt, cunabulis inſtituere, quaſq; virtutes habere eum oporteat, & quæ maximè vitia fugere

gere cõueniat, demõſtrare. Deterruit aũt me iã iã opus texentem, & ab incepto deſiſtere ſuaſit, quòd cùm à veteribus ſcriptoribus materiã peto mei operis, adeò multa de ea re, & veriſſima et abſolutiſſima ſcripta reperi, vt non dubitẽ eũ, cui tot inſignes, & philoſophi, & oratores nõ perſuaſerint, mihi dicẽti minimè crediturũ. Ne aũt feſtiuũ acroama ſine corollario diſcedat, nõ omnia iudicũ munera enumerare conabor: neq; n. opus eſt, neq; fieri cõmodè nunc poteſt: tantũmodo vniuſcuiuſq;, de varijs in hac lege indicatis, generis, & rationem, & exẽpla proponam. Illud verò in primis annotandum eſt (demonſtratu quidem difficile, valdè tamen neceſſariũ) virtutis partes ab ſpeciebus virtutis diſſentire ſæpè, & longè differre. Id & impleriſq; virtutibus, & in fortitudine, cum temperãtia collata, facilè perſpicitur. Fortitudinem nanq; virtutis vel præcipuã eſſe partem, nemo ambigit. Temperantiã aũt & à fortitudine longè diuerſam, & tñ eiuſdem virtutis partem, cuius eſt fortitudo, cognoſcimus. Nonne cùm aliquẽ fortẽ virũ deſcribimus velocitatem, vehementiam, robur, et audaciã eius laudamus, vt virtutis illius partibus omnibus inſtructũ indicem? quid cũ de tẽperãtia agitur? nõne quietẽ

mollem,

mollem, tarditatem opportunam, & ſecuram eius maturitatem, magnis extollimus encomijs. In facilitate ſimiliter, & authoritate, de quibus in lege noſtra, quis non videt, quàm diuerſi commendentur effectus? Laudatur multis nominibus Iulius Cæſar, ſed eo præcipuè, quod obliuiſci nihil ſoleat, niſi iniurias. Simultates enim contra nullos vnquam tam graues excepit, vt non occaſione oblata libens deponeret: homo & natura ad vlciſcendum leniſſimus, & animo, atque ingenio ad parcendũ promptiſſimus. Amicos tãta ſemper facilitate & indulgentia tractare ſolitus, vt. C. Oppio, commitanti ſe per ſylueſtre iter, correptoq; ſubita valetudine, et in diuerſorio, quod in eo loco vnum erat, ceſſerit, & ipſe iam rerũ potens, humi, ac ſub dio accubuerit. De Aug. quoq; Cæſare dicitur, promiſcuas admiſiſſe ſalutationes, & tanta comitate adeũtium deſideria excepiſſe, vt quendam ioco corripuerit, quod ſic ſibi libellum porrigere dubitaret, quaſi elephanto ſtipem.

2 *Eſt igitur facilitas virtutũ omniũ gratiſſima, & ad conciliandos hominum animos, ineundamq; gratiam, & beneuolentiã aptiſſima. Nihil eſt enim iucundiùs ciuibus, neque potior ſeruientibus animis recreatio, quàm ſi intelligant patere*

tere eis principis aures, facilemq; ſuis deſiderijs
præberi aditum. Qua vna re potiſſimum magiſtra
tus omnes in officio continentur, ſi nouerint, eorum
peccata regem ipſum latere non poſſe, licereq; vni-
cuique iniuriam paſſo, regiam implorare opem, &
auxilium poſcere. Quod ſi ſciant miſerorum cla-
moribus, & oppreſſorum vocibus principum obtu
ratas aures, nihil mirum ſi apud mercenarios iudi-
ces; vincant inopiam diuitiæ, ſolitudinem gratia,
& imbecillitatem potentia. Omitto quæ ex facili-
tate facilis & benignus percipiat commoda: mone
tur ſiquidem, & aliorum narrationibus inſtrui-
tur: quæ illum latebant perdiſcit: & alieno exem-
plo, quæ reprehendi poſſent, corrigit, ac mutat. Qua
propter ſapienter M. Antonius cognomēto Pius 3
Cæſarum omnium, & ſapientiæ ſtudijs, & vitæ in-
nocentia optimus, probos quoſq; & prudentes vi-
ros, ſumma facilitate nō ſolùm admittebat, ſed ad
ſe clàm accerſiri iubebat, et remotis arbitris, quid-
quid de ſe quiſq; ſentiret percontabatur: paratus
quacunque in re communis vtilitas id expoſceret,
mutare ſententiam: cautiores, verioreſq; reddens
eos, qui ſibi in conſilio aderant, verentes, ne ille ex-
tra, quid opus facto eſſet, quæreret: ipſi verò aut ne

gligentes, aut improbi adulatores haberentur.
4 *Quid nunc de ſeueritate dicam? Quid iudices Caßianos? quid M. Catonem commemorem? cùm ſciamus homines, vt aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament, authoritate potius, & grauitate, quàm aliqua alia ratione commoueri. Mario nonne, et Mithridati, maieſtas, imperij, ſalutis tutella fuit? Non eſt neque authoritati facilitas poſthabenda, neque familiaritatis, & humanitatis habenæ nimium relaxandæ. Nam vtraque, quanuis inter ſe quodammodo repugnare videantur, vnius tamen virtutis partes ambæ exiſtimandæ ſunt. Quoties autem viciſsitudinem, opportunitatemq; fuerint tranſgreſſæ, contrarijs nominibus nuncupabuntur, virtutum choro indignæ. Quemadmodum enim quæ velociora, aſperioraq; & duriora ſunt, nõ fortia, ſed contumelioſa potiùs, petulantia, & furioſa nominamus, rurſus quæ tardiora & molliora ſunt, timida, ineptaque dicimus, non temperata: nec aliter & ſummum ius, iniuſtitiam, & inanem clementiam, ignauiam appellare decet: vndè morbi fiunt omnium in repub. grauißimi.*
5 *Nam quemadmodum, qui tanquam ſeditioſi ciues*

ſi ciues ſolent in ciuitate, ita ipſi in virtutum familia (vnius exempli cauſa) modeſtiæ ſtudent, contemnunt cæteras, eò deueniunt, vt et ſe ipſos, & reliquos exemplo perdant, (huius enim amoris ardore fit, vt dum ſuis priuatim incumbunt operibus, ſenſim & ipſi imbelles, abiecti, eneruatique reddantur, & iuniores ſimiliter emolliant, & effæminent) ita & ij qui vel populari aura prouecti, ſeueritatis famam, vel nimium faciles, humanitatis capptant indoctè nomen, labuntur turpiter, neque iuſtitiæ ſacris vllo modo ſunt initiandi. Non ſunt enim veri æquitatis cuſtodes, ſed corruptores potius iuris, ac legum. Veluti qui bellicam laudem affectantes ſuos met ciues ad bellum prouocant, atque impellunt, non fortitudine, ſed temeraria ambitione ducti. Vincire autem has partes, quæ coherere non poſſe videntur, & contexere oportet ius reddentem hoc modo, vt in adeundo quidem facilem ſe præbeat, ſed contemni ſe non patiatur: ideſt, difficillimam illam ſocietatem grauitatis cum humanitate, iudicibus neceſſe eſt conſequi, ne illa in triſtitiam, hæc in petulantiam procedat.

*Animus nãque ille, vt in Epinomide diuinè dici-
tur, verè facilis exiſtimandus eſt, qui tardam, con
trariamue naturam mãſuetè, & mediocriter poſ-
ſidet, fortitudinem admiratur, & temperantiam
6 diligit. Ex quibus tela illa inſignis, ciuilis diſcipli-
næ opus, conficitur, iurium omnium finis, & præcla
riſsimæ, optimæq; texturæ complicatio, maieſtatis,
& benignitatis concordia, ſine qua neque publicè,
neque priuatim rectè geri quid poteſt. Nam & ſo
brius niſi adſit liberalitas, ſordidus et liberalis ſine
ſobrietate prodigus efficietur. Rurſuſque magna-
nimus carens temperantia, petulans & ſuperbus,
atque animus pudore abundans, elationis verò ani
mi, & fortitudinis expers, ſegnior fit quàm decet,
& extremo quodam torpore contrahitur. Vbi ve-
rò hæc inſimul cõnectuntur, integrum, & ex omni
parte decorũ prælucet opus. Quemadmodũ enim
in patera vinum primò effuſum bullit, & quaſi
laſciuit, demum tamen aquæ ſobrietate caſtigatũ,
atque commodè dilutum, bonus et moderatus po-
tus efficitur, ita & in iudice, vbi grauis maieſtas
benigna facilitate, opinionis eiuſdẽ cõſenſione tẽpe
ratur, & vtraque ingenia inuicem contexuntur,
reipub. ſaluti, ſatius multò, æquiuſque conſultum*

facilè

facilè quiſq; ſentiet. Vndè meritò à Socrate præceptũ eſt, iuuenes pari induſtria, & muſica, & gymnaſtica erudiri. Id autem non ſolùm corporis, ſed animi plurimum gratia: cùm & ij qui gymnaſticã ſolùm per omnem vitam exercent, agreſtiores, iracundi & duriores euadant, & muſicæ rurſus incumbentes, molles et effæminati reddantur. Vbi verò ambæ ſuauiter & modeſtè conſonant, quidquid ruſticitatis, & aſperitatis ingenium contraxerat, circunſonans muſica demulcet, iracundiam omnem, inſolentiam & petulantiam, tanquam ferrũ demolliens, ſuaues auribus infundens harmonias, & blandis modulis deliniens ferocem animum. Similiterq; & gymnaſtica, ſi quis in ea rectè erudiatur, neruos quos ex animo muſica exciderat, reficit, animoſitatem omnem, quam illa incumbens diutius liquefecerat, & reſoluerat, tanquam ſegnem milité in aciem reuocat, & minis agit. Quo in ſtudio ſi perſeueret, virtute & authoritate clarus, in ſumma gratia & vrbanitate degit. Quem ſi aliquando præſidem nacta ciuitas fuerit, tunc demũ intelliget caſtiſsimũ ſe iuſtitiæ ſacerdotem conſecutam, & abſolutiſsimum muſicum, qui facilitatem cum grauitate, pro tempore & loco, cale- 7

 ſti

8 ſti contemperet harmonia. Vnde mandatis adijcitur, ne præſides prouinciarum in vlteriorem familiaritatem prouinciales admittant. Demoſthenem Athenis profugum, adeunteis iuuenes, à reipublicæ cura conatum auertere, memoriæ proditum eſt: cùm diceret, duabus propoſitis vijs ad magiſtratum vna, altera quæ ad præcipitium ferret, electurum ſine dubio exitium eum, qui mala ea præuideat, in quæ rempub. capeſſentes incidere neceſſe eſt, quàm ſit diligentia plena ſimultatum, vituperationum negligentia, ſeueritas periculoſa, liberalitas ingrata, ſermo inſidioſus, aſſentatio pernitioſa, frons omnium familiaris, multorum animus iratus, iracundia occulta, blanditiæ apertæ, vita denique tota criminibus obnoxia. Quibus delicati quiſquam ſthomachi poſtremum illud addidiſſet, omni conuictu, & amicorum iucunditate carendum. Id enim vel Calliſtrato Iuriſconſulto authore, feciſſe videretur, qui in familiaritatem admitti prouinciales vetet. Multò verò aliter ſe ſe res habet. Longè nanque abeſt à præclariſſima iuſtitia virtute, vt in re quapiam debitum officium impediat, vel ius, quod à na-

turæ

*turæ puriſſimo fonte deductum conſtat; naturæ
iura confundat, obturbetque. Tenendus igitur* 9
*modus, quem de hac re philoſophus Taurus præ-
ſidi Cretenſi præſcripſit: in publicis locis, atque
muneribus, atque actionibus patrum iura, cum
filiorum, qui in magiſtratu ſunt poteſtatibus col-
lata, interquieſcere paululum, & conniuere. Sed* 10
*cùm extra rempub. in domeſtica re, atque vita ſe-
deatur, ambuletur, in conuiuio quoque fami-
liari diſcumbatur, tum inter filium magiſtratum,
& patrem priuatum publicos honores ceſſare,
naturales & genuinos exoriri. Vndè Fabius dum
à filio conſule deſcendere iuſſus; imperio pa-
ret, ipſum collaudat, cùm imperium, quod po-
puli eſſet, retineret, ſciens inter ſe maxima
concordia conuenire. Similiterque quod ad ami-
cos attinet, authoribus Theophraſto & Cicero-
ne, his finibus vtendum eſſe arbitror: vt cùm
emendati mores amicorum ſunt, tum ſit inter
eos omnium rerum, conſiliorum, voluntatum
ſine vlla exceptione communitas: vt etiam ſi
qua fortuna acciderit, vt afflictæ voluntates
amicorum adiuuandæ ſint, in quibus eorum aut
caput agatur, aut fama, declinandum de via ſit,*

modo ne conſcientiæ turpitudo ſequatur. Eſt enim quatenus amicitiæ venia dari poßit, quod tamē ſine cuiuſquā præiudicio fiat. De his nanq; quæ in nobis ſunt, amicis commodare conceditur, quantum alio loco diſputabimus: futurum tamē id. è reipub. & reliquorum libertate atq; pace nemo ignorat.

10 *Non igitur amicorum electio interdicitur, quorū ſermo ſollicitudinem leniat, ſententiam conſilium expediat, hilaritas triſtitiam diſsipet, cōſpectus ipſe delectet, ſed vacuos in primis (quantum fieri poterit) à cupiditatibus eligere monemur: deinde non adeo in vlteriorem familiaritatem admittere, vt peccādi illis videatur conceſſa licentia, vel nos ipſos, dignitatemq; contemnant. Indignum eſt enim principis authoritate, ſi tanquam Arideus recuſetur rex, ne ille nomen regis, alius imperium teneat, & ſub perſona regis, indignorum populus ſubijciatur imperio. Qui gratia & potentia freti, dum nimium liberè atq; ſtudioſe voluptatibus ſeruiunt, ſine iniuria potentiam leuem, atq; inopem eſſe arbitrantur, per alterius incommodum, & calamitatem ſibi prouidentes. Interim miſera plebs tot, tantiſq; difficultatibus affecta, atque afflicta, ingenia à quibus ſalutem atque auxilium ſperabat, vides*

ad

ad perniciem conuerſa, indigna prorſus pati cogitur, turpi principis infamia: quòd ſicut de Claudio dicitur, non tam ſuo, quàm vxorum, & libertorũ arbitrio, imperiũ adminiſtraretur, talis vbiq;, qualem eſſe eum, aut expediret illis, aut liberet. Retinenda eſt, vel cum familiaribus aliquando grauitas, & iocis etiã luſibuſq; admiſcenda, ne vrbanitatis imagine ad diſſolutionis, & petulantiæ materiã deueniatur. Nam ex conuerſatione æquali contẽptio dignitatis naſcitur. Si verò quoddam in amicitijs deſideriũ ineſt, mores omnes quaſi glutino quodam connectit, & vincit: è contra cõſuetudo ſatura, neque vllum habens per intermiſsionem temporis deſiderium, alterum ab altero ſacietate disiungit. Quapropter quanuis hominibus naturalis virtus humanitas ſit, tamẽ quemadmodum cibus omnibus neceſſarius, alijs nimius, alijs parcus, quibuſdã ſalubris, quibuſdã peſtilens dicitur, ita & perſonarũ diſcrimine, ac dignitatum, vrbanitatis gradus ſunt põderãdi. Decet enim magis grauitas & authoritas iudicem, quã priuatum: rurſuſq; maieſtas atq; ſeueritas imperij ſunt ornamenta, nõ ſubditi. Admirari ſiquidem oportet, & reuereri eum, cui parere neceſſe eſt. Vndè Tyberij prudenter fa

11 12

ctum memoratur, ſtatuiſſe illum repētè ſecedere, ſeq; è medio quàm lōgiſsimè amouere, vt vitato authoritatis faſtidio, authoritatē abſentia tueretur.

13 *Sed & in cognoſcendo, neque excandeſcere aduerſus eos, quos malos putat, neque precibus calamitoſorum illachrymari oportet. Nam æquale, vt Nazianzenus ait, malum eſt, & dimiſſio abſq; caſtigatione, & caſtigatio ſine venia: quandoquidē illa totas relaxat habenas, hæc verò nimiū reſtringit. Eſt autē meliùs authore Chryſoſthomo reddere rationem propter miſericordiam, quàm propter crudelitatem. Nam quemadmodum turpe eſſet medico, cùm blādè oporteret mederi vulneribus, in*

14 *ægrum hominem concitari & iraſci, nec aliter iudex ad correctionem errantium, & peccatorū vindictam ſelectus, nō debet in cognoſcendo excādeſcere aduerſus eos, quos malos putat, ſed pacato prorſus animo, errantes, ſi fieri poteſt, reducere: ſi inſanabiles ſint, nō odio, ſed vtilitate cōmuni extinguere. Tenetur ſi quidē, parentis vicem exhibere plebi, talemq; ſeſe ſubiectis præſtare, qualem ſi ſubiectus eſſet, ſuum præpoſitum eſſe vellet. Neq; decet, cùm ira labes animi ſit, peccato corrigere peccantem. Quamuis enim pœnarum ratio malefactorumque*

punitio, iuſtitiæ bona ſit pars, tamen neq; prudentiã callidè, neq; temperantiam ſordidè, illiberaliterq;, neq; fortitudinẽ temerariè, nec ſuperſtitioſe pietatem, nec inſcienter vllã aliam virtutis ſcientiã, ſed artificioſe vnãquanq; tractare conuenit. Atq; hoc illud eſt, quod à ſupremo legiſlatore Deut. 16. præcipitur, iuſta iuſtè exequi. *Quaſi nos doceat, iuſtitiã, reliquaſq; virtutes non aduerſis operibus, ſed eius cognatis exequendas. Vt enim ſi quis depoſitũ non bono animo reddat, ſed gladium furioſo, aut pecuniã inſidioſe, vt cõparata ſemel fide, maius depoſitum abnegandi captetur occaſio, tunc officium nõ officioſe fit: è diuerſo medicus vſurus ægrotum, ne metu doloris fugiat medicinam, aut ob imbecillitatem linquatur animo, ægro vera nõ dicit, inofficioſam rem facit officioſe: ita & qui ſententiam quãuis iuſtam, non tñ bono animo, ſed vel gratia corruptus, vel pertractus potentia, vel adulteratus pecunia, vel iracundia percitus profert, iuſta quidem, iniuſtè tamen exequitur. Veluti ſi tutor pupillum non inſtrueret virtutibus, & blandè à vitijs deduceret, ſed gladio, quem in defenſionem acceperat, interimeret, indigna profectò res eſt, & ab æquitate alieniſſima, mitiſſimæ virtutis*

inſtru-

inſtrumenta eſſe peccata, Quæ autem hos crudeli-
5 ter iuſtos pœna maneat, teſtis eſt Q. Metellus Ma
cedonicus, ob ſtudioſam ſeueritatem plebi adeò in-
uiſus, vt bis paſſus repulſam, ægrè tertio candida-
tus, fuerit renũtiatus cõſul. Et. L. Cornelius Cinna
quarto cõſulatu, cùm bellum aduerſus Syllam pà
raret, Anconæ ab exercitu lapidibus obrutus eſt,
16 quòd inhumaniter ſeuerus haberetur. Multò ali-
ter M. Marcellus, maieſtatis P. R. & conſerua-
tor egregius, & vindex acerrimus, ea tamen huma
nitate, & clementia fuiſſe fertur, vt cùm Syracu-
ſas vrbem ornatiſsimam Siciliæ cepiſſet, eamq; pro
ximè ruituram cerneret, fleuiſſe, & ante eius ſan-
guinem, ſuas ille lachrymas effudiſſe dicatur. Non
erat quod vereretur, ne piæ lachrymæ ſibi vitio da
rentur, néue vti mollis contemneretur: vetabat im
perium, defendebant faſces, & præclarè geſta ma
ieſtatẽ augebant. Longè valentior amor eſt ad po-
17 teſtatem, quàm timor. Amor ſi recedas, in deſide-
rium & reuerentiam vertitur, timor in execrabi-
le odiũ. Is nanq; contemnitur, nõ qui ſalua maieſta
te imperij, facilem ſe, & benignũ præbet, ſed qui hu
milis eſt et ſordidus, et qui ſe primus ipſe cõtemnit.
Quare abſoluta eſt, ni fallor, Ciceronis de hac re
præ-

*præceptio, probãdam omnino eſſe mãſuetudinem,
atq; clementiã, adhibita tñ reipublicæ cauſa ſeueri
tate. Negari enim non poteſt, tantã eſſe, vt Caſsio
dorus ait, morũ varietatẽ, diuerſitatẽq;, vt nemo
valeat leges defendere, niſi terror videatur ali-
qua temperare. Prodeſt, inquit Auguſtinus ſeue
ritas veſtra, cuius miniſterio quies adiuuatur, &
noſtra. Prodeſt interceſsio noſtra, cuius miniſterio
ſeueritas temperatur & veſtra. Non vobis diſpli
ceat, quòd rogamini à bonis, quia nec nobis diſpli-
cet, quòd timemini à malis. Subindicans quemad-* 18
*modum nos ſuprà de facilitate, & auctoritate di-
ximus, ſalutarem eſſe miſericordiam, quæ tamen
ſeueritate fulciatur, laudandamq; ſeueritatem,
quam miſericordia comitetur, et temperet. Nam
& bonus ſegnior fit, vbi negligis, & malus impro-
bior. Ille autem, Gregorio auctore benè agit quæ
pia ſunt, qui prius ſeruat quæ iuſta ſunt: vt colla-
tus in proximum riuus miſericordiæ, de iuſtitiæ fon
te ducatur. Id quomodo agẽdum ſit, tempus, locus,
occaſio, ætas indicabunt, quæ vel miſericordiã mo
uent, vel odium prouocant. Nam & lex, iudicium
ſine miſericordia, ei qui nõ facit miſericordiã, mi-
natur. Deq; eo qui Dijs alienis impiè ſeruire ſua
ſerit,*

nulli perturbationi ſuccumbens, proferat iudicij veritatem. Neceſſe eſt ſiquidem conſtantẽ rectũq; iudicem, cuius animi motũ vultus nõ detegit, non nonſolùm integrum ſe, & incorruptum præſtare miniſtrum, ſed verbis etiam, oculis, fronte atq; inceſſu ita ius reddere, vt auctoritatem dignitatis ingenio ſuo augeat. Nam, vt egregiè Cicero ait, oratio ipſa conſulis pernitioſa poteſt rempublicã labefactare, cũ id licere ſibi quiſq; intelligat, quod agere eos videt, à quibus regitur: qui verò aſſequi non poſſunt, leuem magiſtratus iniuriã grauiùs ferunt, quàm alterius inſignem. Id nimirũ verentes, nihil eſſe tam ſanctum, quod nõ potentia armata libido, & auctoritate cõfirmata audacia cõminuere atq; violare ſoleat. Quapropter ſcitum illud eſt, Peri- 20
clem Athenienſium principem, cùm tragœdiarum ſcriptorem Sophoclem in Prætura collegã haberet, ac is publico officio vnà diſtrictus, pueri ingenui prætereuntis formã impẽſioribus verbis laudaſſet, intemperantiã eius increpantẽ dixiſſe: Prætoris, nõ ſolùm manus à pecuniæ lucro, ſed etiã oculos à libidinoſo aſpectu cõtinẽtes eſſe debere. Sẽtiebat nimirũ ille pernitioſum magiſtratũ, nõ ſolũ factis, verũ etiã exẽplo, nutuq; acriter vulnerare rempublicã.

Papi-

20. *Papinianus libro primo reſponſorum.*

Legatus Cæſaris, ideſt præſes, vel corrector prouinciæ, abdicando ſe, nõ amittit imperiũ.

Multa ſunt quæ ad hãc rem pertinent, ab Innocentio, cæteriſq; iuris pontificij profeſſoribus tradita in.c. admonet, & in.c. quod in dubijs, & in c. fin. de renunt. quæ referre non eſt noſtri inſtituti.
1 *Atq; huius quidem legis exemplo, quàm plurima eſſe introducta Alciatus docet in. l. poſtquam. C. de pactis, quale illud eſt quod Imola, Alexander, Alciatus, & Oroſcius admonent, renuntiatione litis eum non excludi, qui ſacerdotium ſimpliciter eiurauerit, quoniam niſi in manibus epiſcopi, dimitti beneficia, niſi in damnum renunciantis, non*
2 *poſſunt. Præterquam, vt Coſtalius ſcribit, ſi eſſet in controuerſia ſacerdotium, vel is qui eiurat, adhuc ius in beneficio non haberet: ſed mandatũ tantum, aut reſcriptũ ad beneficium: tunc enim poſſet ſine ſuperioris venia illud refutare, vt Angelus et Coſtalius aiunt, & Coraſius de ſacerdotio. 1. p. c. 8. num. 15. & Duarenus de ſacris eccleſiæ miniſterijs. lib. 8. c. 2. tradiderunt. Hinc illud quoq; quod*
3 *Baldus in auth. in ſucceſſione. C. de ſuis et leg. hær.*

& hoc

& hoc loco Oroſcius, affirmant: non poſſe clientem fiduciã, ſiue feudum, abſque ſui principis authoritate relinquere. Quæ omnia, etiam in tacita, nõ ſolùm in expreſſa renuntiatione intelligunt interpretes. Quod verò hîc Bartolus atque alij de donatione Conſtantini tractant, & Albericus quærit de renuntiatione Cæleſtini papæ, exiſtimo non eſſe huius loci.

Prouinciæ. *Si verò Romæ, aut in principis curia magiſtratus officium deponeret, vbi princeps alium ſtatim poſſet ſubrogare, amittere illum imperium putat Antonius Vacca, & Coraſius probat Vaccæ ſententiam: quia tunc periculum non eſſet, ne reſpublica interim detrimentum caperet. Idque exemplis confirmant Valerij dictatura, Scipionis & Figuli magiſtratu ſe abdicãtium. Mihi hæc ratio non perſuadet: neque me mouẽt exempla dictatoris ſupremum habentis imperium, aut magiſtratuum vitio creatorum, officia deponentiũ.* 4

Abdicando ſe. *Ideſt, vt Forcatulus ait, reijciendo inſignia magiſtratus, & de ea re facta proteſtatione. Neque contrarium eſt quod in l. 2. ff. de orig. iur. §. & cùm placuiſſet, dicitur: nam vel abdicationem illam, ſuperioris auctoritate factam dici po-* 5

L

ris alijs teſtimonijs, abundè in.l.1.§.fin.ff. de extra ordi.crimi.probatur, qui puero, *inquit*, ſtuprū, abducto ab eo, vel corrupto comite, perſuaſerit, aut mulierem, puellamve interpellauerit, quidue impudentiæ gratia fecerit, donū præbuerit, pretiumue, quo is perſuadeat, dederit, perfecto flagitio puniūtur capite: imperfecto in inſulā deportantur: corrupti comites ſummo ſupplicio afficiūtur. *Vndè legitimè arbitror* 2
ſtatuiſſe Plat.lib.9.de legib.dū ait. Qui mulierem liberam aut puerum ad rem veneream vi adegerit, impunè non ab eo ſolum, cui vis illata eſt, ſed à patre, marito, fratribus, filijſq; vita priuetur. Quā ſententiam apertè confirmat tex.in.l.1.§.fin.ff. ad l.Cornel de ſiccar, dicens. Item diuus Adrianus ſcripſit eum, qui ſtruprū ſibi, vel ſuis per vim inferentē occidit, dimittendū. *Cuius rei illuſtre eſt apud Ciceronēpro Milone exēplū. Pudicitiā, inquit, cū eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marij propinquus imperatoris, interfectus ab eo eſt, cui vim afferebat. Facere enim probus adolecens periculoſe, quam perpeti turpiter maluit. Atque hunc ille vir ſummus, ſcelere ſolutum, periculo liberauit. Quam eandem hiſtoriam*

Plutarchus in Mario narrauit, et Vale Max. lib.
6. tit. de pudicitia, & Fabius Quintilianus, lib. 3.
cap. 13. & idē Quintilia. vnica declamatione elo-
3 *quentiſsimè illuſtrauit. Demoſthenes quoq; in ora-*
tione aduerſus Ariſthocratem ſcribit, iudicia ca-
pitis duo à dijs ipſis facta in Areopago: in altero
Martem abſolutum fuiſſe, qui ſtupratorem filiæ
interfecerat: in altero Oreſtem necis paternæ vlto-
rem. Quod etiam Pauſanias in Atticis ſcripſit,
aſſerens eam vrbis regionem, quæ Areopagus dici-
tur, inde nomen accepiſse, quòd in eo loco ab initio
Mars capitis cauſam dixerit, accuſante Neptu-
no. Occiderat enim Mars Neptuni filium Ha-
lirrhothium, quòd eius filiam Alcippā viciaſset.

Obſeruata in titulum.

Senatorum & magiſtratuum ordines, illuſtrium ſpectabilium & clariſsimorum. 1
Præſidum authoritas, & an ſubiecti fuerint præfecto prætorio. 2

Obſeruata in.l.1.

Præſes à præſidendo dictus, & quòd in genere capitur & in ſpecie.num. 1
Conſ[illegible] & prætoris appellatio omnibus magiſtratibus cõmunis. 2
Præſides propriè qui erant. 3
Quis magiſtratus hodie præſidibus cõparari poßit. 4
De quibus præſidibus hoc titulo agatur. 5
Ex quorum iuriſconſultorum libris conſtent pandectæ. 6
Proconſules qui dicebantur. 7
Legatorum & legationum ſpecies in Romana Rep. 8
Legatorum diſtinctio apud iuris pontificij interpretes. 9

Obſeruata in.l.2.

Prætorium ius præſidibus dari ſolitum. 1
Liberaliũ cauſarum qui fuerint olim iudices. 2
Romanos ciues etiam in prouincijs, non niſi Romani iudicabant. 3
Curatores ciuium qui.ibi.
Iuris prætorij eſſe, quæ hac lege præſidibus permittuntur. 4
Legis actio in.l. magiſtratum. ff. de adoptionib. quid ſit. 5
Duplici officio fungi eidem homini quando permiſſum. 6
Diuerſorum officiorum nomine, vnus diuerſa legata, & portiones conſequitur. 7
Doctori in vtroq; iure an duplex pro pina debeatur. 8
Donatio coram donante inſinuari nõ poteſt. 9
Præſes apud ſe adoptare poteſt, arrogare non poteſt. 10
Tabellio an de facto proprio conficiat inſtrumentum, & an iudex notarius ſcribat acta coram ſe. 11
Comes Palatinus an proprium filium poßit legitimare. 12
Si ex qua legitimandus ſuſceptus eſt, pater ducere poteſt, abq; tali matrimonio non datur illum fieri poſſe legitimum. 13
Magiſtratus minor viginti annis quo modo apud ſe manumittat. 14

Obſeruata in.l.3.

Excedere, hoc loco quid ſignificet. 1
Priuatus Latinè quis dicatur. 2
Præſes extra prouinciã quomodo voluntariam, quomodo contentioſam

 iuriſdi-

iuriſdictionem exerceat. 3

L.17.infra iſto titulo explicatur. 4

Conſules quanta cum maieſtate in prouinciam proficiſcebantur. 5

L.omnes ſuprà de offi.proconſul.ibi.

Legati pontificis qua ſolennitate vrbem egrediantur.ibi.

Contentioſam iuriſdictionem quomodo præſes exerceat. 6

Duces exercitus, etiam ſi in aliena ditione ſint, legitimè iuriſdictionem exercent. 7

Delicti ratione ſortitur quis forum, atq; eius rei variæ rationes ex Platone Caßiodoro,& alijs. 8

L. 1. C. vbi ſenat. vel clariſſ. enodatur.ibi.

*Manu committit,qui fraude, dolo malo,veneno,aut verbis committit.*9

Mandata principum, quæ dicebantur. 10

Diſtinguere quando poßimus, lege nõ diſtinguente. 11

Obſeruata in.l.4.

VAria præſidũ priuilegia & prærogatiuæ. 1

Proconſulum ius Auguſtum,eorumq; proprium eſſe vt in prouincijs maiores ſint omnibus poſt principem, atque ab eis hoc ius ad præſides deriuatum. 2

Obſeruata in.l.5.

IVriſprudentiæ erga pupillos cura ingens. 1

Iudex ſpecialis quis dicatur. 2.&.8.

Pedanei iudices qui,& cur ita dicti. 3.

L.prætor.ff.de tutorib.& cura. interpretatio. 4

Iudices,ſeſe compromiſſarios,aut arbitros dare non poſſe. 5

Quando iudex poßit compellere partes ad compromittendum. 6

Præſes cur ipſe ſe tutorem dare non poßit,triplex ratio. 7

Is cui poteſtas eligendi data eſt, ſe ipſum eligere non poteſt. 9

In quibus poteſtas eligendi data eſt, vnũ ex ſe ipſis eligere poſſunt. 10

An is cui diſtributio quãtitatis demandata eſt,poßit ſibi aut ſuis aliquã retinere. 11

Obſeruata in.l.9.

ILlicitæ exactiones, quæ dicantur. 1.&.2.

L.ſi quis pro eo. ff. de fideiuſſ. explicatur. 2

Interpretatio. L.iuſiurandi.ff. de ope. liber.ibi.

Confeſſus ſpe futuræ numerationis, licet poſt biennium non excipiat, poteſt tamen implorare iudicis officium. 4

Quãdo noua diſpoſitio, præterita quoque negotia comprehendat. 5

An ea quæ lege hac cõſtituta ſunt, mero iudicis officio an potius iure actionis expediantur. 6

Obſeruata in.§.1.

VErus huius. §. ſenſus. 1
An iudex debeat iudicare ſecundum allegata & probata, an ſecundum conſcientiam. 2
Supremæ curiæ ſenatores ſecundum conſcientiam, prætermiſſis allegationibus, & probationibus iudicare poſſe. 3

Obſeruata in. §. 2.

QVæ præſtare debeant rerum publicarum gubernatores. 1
Defenſores hoc loco qui dicantur. 2
Religio pro cura & ſolicitudine. 3
Securitas de nõ offendendo cui, à quo, per quẽ & quomodo præſtãda. 4

Obſeruata in. §. 3.

ILlicita miniſteria quæ dicantur. 1
Præfecturæ militares. ibi.
Illicitarum exactionum exempla. 2

Obſeruata in. §. 4.

INiuriam facit qui licita negotiatione prohibet quenquam. 1
Patronus libertum, licita negotiatione non prohibet. 2
Cõtractus cuius iuris cenſendi ſunt. 3
Pecunia quo iure introducta ſit. 4
Nemo vẽdere, aut emere cogitur quã tunuis iuſto pretio. 5
Iudex maleficiorũ poteſt capere aſinũ ruſtici pro malefactore ad furcas deducendo. 6
Pro conſtructione, vel neceſſaria ampliatione eccleſiæ, coguntur vicini vendere. 7
Fauore libertatis cõpellitur quis vendere. 8
Quæ neceſſaria ſunt victui poſſũt exuberantes cogi iuſto pretio vẽdere. 9
In domibus aptis ad locandũ & in panis poteſt certum pretiũ ſtatui. 10
Idẽ in rebus ad victũ pertinẽtibus, ſi ſemel expoſitæ ſint venales. ibi.
L. 1. §. cura carnis. ff. de off. præfect. vrbis & l. fin. ff. ad legem Iuliam de annona explicantur. ibi.
Caſus in quibus quis vẽdere cogitur, ita accipiẽdi ſunt, vt tamẽ à principe id fiat, & iuſto pretio. 11
Ciuitas vel inferior principe quando poſſit cogere, vt vendant. 12
Iudex poteſt prohibere nequis vltra indigentiam emat, vt ſuperſit alijs emere volentibus. 13

Obſeruata in. §. 5.

HAEc verba lumine vnico quomodo accipienda. 1. & 3
Pro lumine, limine, legendum. 2

Obſeruata in. §. 6.

EXempla eorũ quæ hac lege prohibentur.

Obſeruata in. §. 7.

MEdicorum impunitas. 1
§. Preterea. inſtit. de lege Aquilia explicatur. 2

Etiam in medico qui gratis curet, hoc caput locum habere. 3
Irregularem eſſe medicum, cuius conſcientiam remordeat imperitia. 4
Quibus pœnis iure ciuili hiſpano medicorum imperitia caſtigetur. 5
Diuerſa pœna eſt medici, ingenuũ malè curantis, aut ſeruum. 6
Medicos olim chirurgos fuiſſe. 7
Medicus ægrum, etiam ob defectũ ſolutionis, non poteſt impunè deſerere. 8
Hoc caput, etiam in foro conſcientiæ habere locum. 9
Culpam tripliciter committi. 10
Imperitia eius artis quam quis profitetur, culpæ annumeratur. 11
Doctorem ratione ætatis in integrum non reſtitui. 12
Quæ maneat eum pœna qui ſe medicũ profitetur, cum non ſit. 13
Hoc caput ad medicos quoque animarum pertinere. 14
Obſtetrices etiam hac lege teneri. 15
Veterinariorum imperitiam hac ſimiliter lege obligari. 16
Aduocatorũ, patronorũq; cauſarum, quod ad hoc caput attinet, ac medicorum parem eſſe conditionem. 17
Aſſeſſores æquè ac medicos hac lege teneri. 18
Menſores, & proxenetas hoc capite non comprehendi. 19
Cur aliter de iudice, quàm de aſſeſſore, patrono, medicis, alijſq;, ſit in hac cauſa conſtitutum. 20
Aduerſus iudicem, in ſyndicatu quomodo agendum. 21
Mulctam iudex quando augere vel minuere poſſit. 22

Obſeruata in. §. 8.

HAec verba, qui vniuerſas prouincias regunt, quomodo accipienda. 1
Ius gladij quid ſit. 2
Præſides cur in metallũ dare poſſent, in inſulam deportare nõ poſſent. 3

Obſeruata in. §. 9.

PAupertatis præuilegia. 1
Cur Exodi. 23. præceptum. Pauperis non miſcrearis in iudicio. 2
Mulctam pauperi niſi ſufficiẽter caſtigato non eſſe remittendam. 3

Obſeruata in. l. 7.

ORnatus vrbis, & ædificiorũ ad quos magiſtratus pertinuerit. 1
Quibuſdam imperatoribus eandẽ rem curæ fuiſſe. 2
Propter deformitatem vrbis propriã domum quis deſtruere cogitur. 3
Domini reparare domos in vrbibus, atq; ſi decuriones ſint de nouo ædificare compelluntur. 4
Nobilis pauper habens domum, quam reficere non poteſt, cogitur vendere alij qui reficiat. 5
In ædificando modum eſſe adhibendum, faciendumq; id abſque alterius iniuria. 6

Obſeruata in.l.8.&.9.

I Vlianus I. C. quo tempore fuerit. 1
Potes,& debes,in reſcriptis an differunt. 2
Intereſt,reſcripti verba ad impetrantem,an ad iudicem referantur. 3
Negotium quod per verbum mando delegatum eſt,ſubdelegari poteſt: non ita ſi per verbum præcipio. 4

Obſeruata in.l.10.

QVanquam de omnibus cauſis de quibus Romani magiſtratus cognoſcunt, præſidis prouinciarum ſit notio, non tamen omnibus, quibus illi gaudent præuilegijs. 1
A præſidibus prouinciarum appellari ſolitum. 2
Conſules an iuriſdictionem habuerint contentioſam. 3
Pretorium ius quatenus præſidibus communicatum. 4
Pretoriorũ imperialium nomina diuerſa. 5
Quibus pretorijs qui magiſtratus dati. 6
Correctõres prouinciæ qui fuerint. 7

Obſeruata in.l.11.

Deſiderium & deſiderare quid ſignificent. 1
L.fin.ff.ſi liber.ing.eſſe dic. 2

Obſeruata in.l.12.

A Præiudicijs locus frequens rhetoricis. 1
Exemplorum & præiudiciorum vim magnam eſſe in iudicijs. 2
Comparabile argumentum quid, & eius ratio. 3
Iudicatum quid ſit, atque eius partes. 4
Iudicandum ſit exemplis,nec ne. 5
Opinionem parui doctoris lege roboratam, opinioni magni doctoris præferendam,& de gloſſarum authoritate. 6

Obſeruata in.l.13.

QVid præſidi faciendum vt pacata prouincia ſit. 1
Cur ſacrilegi, latrones, plagiarij,fures,hac lege potius notati. 2
Receptator ferè ſemper in malam partem accipitur. 3
Receptatores quibus pœnis caſtigandi. 4
Receptans affinem,vel cognatum lenius punitur. 5
Eodem numero eſſe receptantem intimum amicum. 6
Iudex quando,& quomodo poßit cõpellere ſubditos ad faciendum pacem. 7
Inquiſitionem generalem iudex facere poteſt,ex ea verò nemo damna

Obſeruata in.l.18.

Leges de repetundis. 1
Stipendium, tranſita, honorariũ aliaq; iura præſidum. 2
Doni & muneris diſcrimen. 3
Eſculentum & potulentum quid, & quid circa hæc iure põtificio, quid iure ciuili hiſpano conſtitutum ſit. 4
Hæc verba, quod intra dies proximos prodigatur, quomodo accipienda. 5

Obſeruata in.l.19.

Virtutis partium diuerſam plerunq; eſſe rationem. 1
Facilitas in principe virtutum omniũ gratiſſima. 2
Marcus Antonius cognomento pius quanta facilitate imperiũ rexerit. 3
Facilitas & ſeueritas quanuis contrariæ videantur, ambæ tamẽ ſunt retinendæ. 4
Non ita vni ſtudendum eſſe virtuti, vt reliquæ contemnantur. 5
Maieſtatis & benignitatis concordia quo pacto ſit coniungenda. 6
Quare Socrates iuuenes pari induſtria, & muſicæ & Gymnaſticæ operam dare preciperet. 7
Quibus exemplis Demoſthenes deterrebat iuuenes, ne reip. adminiſtrationem capeſſerent. 8
Quem modum reipub. regendæ præſcripſerit Taurus Philoſophus præſidi Cretenſi. 9
Hac lege amicorum electio præſidi prouinciæ nõ interdicitur. 10
Retinenda etiam cum amicis & familiaribus grauitas. 11
Tyberij prudentia, qui repentè receſſit vt authoritatem abſentia tueretur. 12
AEquale malum eſt dimiſſio abſq; caſtigatione, & caſtigatio abſque venia. 13
Qua ratione præſes ſe ſe gerere debeat aduerſus facinoroſos. 14
Iuſtitiã crudeliter adminiſtrãtes, quæ pœna maneat. 15
M. Marcelli factum notabile, qui captis Syracuſis fleuiſſe dicitur. 16
Longè valentiorem eſſe amorẽ ad poteſtatem, quàm timorem. 17
Salutaris miſericordia, quæ ſeueritate fulcitur. 18
Quomodo accipiendum quod Exo. 28 dicitur, pones in rationale iudicij doctrinam, & veritatem, quæ erũt in pectore Aaron. 19
Periclis pulchrè dictum in Sophoclẽ prætorem, quòd oculos diſtrictius in pueri formam defixiſſet. 20

Obſeruata in.l.20.

Renuntiatione litis cum non excludi, qui ſacerdotium ſimpliciter eiurauerit. 1
Beneficium litigioſum, vel id in quo quis nondum ius habet, abſque ſuperioris licentia renunciare poteſt. 2

Cliens

Cliens feudum abſque principis licentia non relinquit. 3
Magiſtratus qui in principis comitatu ſunt, an poßint deponere officia, ſine licentia principis. 4
L. 2. §. & cum placuiſſet. ff. de orig. iur. explicatur. 5
Principem regno, & papam pontificatu ſeſe abdicare poſſe. 6

Obſeruata in l. 21.

Solicitato res pudicicię, multis pœnis à iure coerceri. 1
Platonis & Ciceronis de ea re ſententię. 2
Areopagus cur ita dictus, & de iudicijs ibi factis. 3

PETRI VELLEII GVEVARAE DE DOLI MALI definitione, Liber ſingularis.

AD ILLVSTREM ANTONIUM de Padilla y Meneſes, in ſuprema curia regium conſiliarium.

ILLVSTRI ANTONIO DE PAdilla y Meneſes, in ſuprema curia regio conſiliario. Petrus Velleius Gueuara. S.

Operoſum eſt certè & ſpiſſum ſtudiũ iuriſprudentiæ, tum quòd maxima ſit, & in ipſis rebus obſcuritas, & in iudicijs noſtris infirmitas: tum etiã quòd tanta ſunt in varietate gloſſographi, vt faciliùs inter horologia, quàm inter eos dicas poſſe conuenire. Ex quo illud exiſtit, vt quod pro certo & probato ſumas, nihil reperias: cùm nulla res tam facilis ſit, quæ nõ multos habeat contradicentes: nec rurſus tam obſcura, quæ non plurimis eiuſdem diſciplinæ, ſolis videatur luce clarior. Non longè abieris: de doli mali definitione, quanta, nõ modò interpretũ, ſed ipſorum iuriſconſultorum diſſenſione certatur? Notaui capita, vbi ea cõtrouerſia eſt, & deſcripta tibi mitto: te enim doctorem, vnũq; deſiderant.

PETRI VELLEII GVEVARA de Doli mali definitione liber ſingularis.

PRimum C. Aquilium formulas de dolo propoſuiſſe, dolumq́, malum in ſimulatione cõtineri tradidiſſe, auctor eſt M. Tullius lib. 3. de Nat. de. dum ait. Inde euerriculum malitiarum omnium, iudiciũ de dolo malo, quod C. Aquilius familiaris noſter protulit, quem dolum, idem Aquilius tum teneri putat, cùm aliud ſit ſimulatum, aliud actum. Et lib. 3. de offic. de Pithio & Cannio agens, nondum, inquit, Aquilius collega, & familiaris meus pertulerat de dolo malo formulas, in quibus ipſis cùm ex eo quærerem, quid eſſet dolus malus, reſpondebat, cùm eſſet aliud ſimulatum, aliud actum. Hoc quidem ſanè luculenter vt ab homine perito definiendi. Et in Topicis ad Trebatium. Commodè, ait, tractatur hæc argumentatio, quæ ex genere ſumitur, cùm ex toto perſequare partes; hoc modo: ſi dolus malus eſt cùm aliud agitur, aliud ſimulatur, enumerare licet quibus id modis fiat, deinde in eorum

aliquem

loſum abominabitur dominus. *Virum, inquit, ſanguinum ad operantem iniquitatem referas, doloſum ad mendacium: dolus enim eſt, cũ aliud agitur, aliud ſimulatur. In eandemq́; ſentẽtiam, pſal. 14. 31. & 49. interpretatur: & tom. 9. c. 1. Ioannis tractatu. 7. explicans illud diuinum Saluatoris de Nathanaele teſtimonium,* ecce verè Iſraelita in quo dolus non eſt, *ita ait. Dolum dicit dominus, & omnis qui verba latina intelligit ſcit, quia dolus eſt cùm aliud agitur, & aliud fingitur. Dolus fraus eſt, ſimulatio eſt, quando aliquis aliquid in corde tegit, & aliud loquitur doloſus eſt, & tanquam duo corda habet. Rurſus tom. 10. lib. 50 homiliarum, homil. 20. de interpretatione verborum Petri apoſtoli agens. 1. Pet. 2.* Depoſita omni malicia, & omni dolo, & adulatione, & detra tractione, tanquam modo nati infantes, ratio nabile & innocens lac concupiſcite. *Quid eſt, inquit, malitia niſi nocẽdi amor? quid dolus niſi aliud agere et aliud ſimulare? quid eſt adulatio niſi fallaci laude ſeductio? Quibus profectò tantorũ virorum auctoritatibus, ſtabilis ſatis, fixa, rataq́; videbatur doli mali definitio. Verùm effecit hominũ ad contradicendũ procliuitas, reprehendendiq́;*

M *libido,*

libido, vt non modo in opinione dubia, ſed manifeſta lege abrogata ſit. Nam Labeo iureconſultus, vt in.l.1.ff.de dolo refertur, poſſe putans, & ſine ſimulatione id agi, vt quis circunueniatur, poſſe & ſine dolo malo aliud agi, aliud ſimulari, ſicuti faciunt qui per eiuſmodi diſsimulationẽ deſeruiunt & tuentur vel ſua, vel aliena, ſic ipſe definit. Dolum malum, eſſe omnem calliditatem, fallaciam, machinationem, ad circunueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitã. *Cuius & verba & ſententiam referens, probanſq; Domitius Vlpianus lib.11.ad edictum:* Labeonis, *inquit*, definitio vera eſt. *Atque iſtorum opinationem Triboniano nobis proponere legem viſum eſt, & ſimul cum ſuis pandectis, tanquam Auguſtiſsimum iuſtitiæ templum conſecrare: doctiſsimorum hominum, quibus maior in his rebus eſſet habenda fides, ſententia prætermiſſa. Quam tamẽ ego, vt dicam parcius defendi poſſe coniicio. Sed dicet mihi fortaſſe quiſpiam, ne tu temerarius & audax homo es, qui leonem tondere audeas. Primùm ego, non tam Vlpianum aut Labeonem accuſo, quam. C. Aquilium, Ser. Sulpitium, Iul. Paulum. Sext. Pædium M. Tullium,*

& Aur.

& Aur. Auguſtinum, & iuriſconſultiſsimos viros, & legumlatores defendo prudentiſsimos. Itaq; ſi quod maximè ab interpretibus fieri ſolet, numerandæ ſententiæ eſſent, non ponderandæ, patet quã tum ſuffragiorum numero & auctoritate vincamus. Nam Labeonẽ, quem Horatius lib. 1. Serm. Sat. 3. inſanum appellauit: Vlpianũq;, quem Chriſtianæ religionis crudeliſsimũ hoſtem (oraſius oſtendit in l. multum intereſt. ff. de verb. oblig. & Duarenus lib. 1. de ſacris eccleſ. min. c. 14. de virtutibus ac vitijs (id enim eſt de dolo malo & ſolertia) differentes quis audiet, vel aduerſus vnum diuum Auguſtinum, vt cæteros taceam? At horum opinio, pro lege ſancita eſt à Triboniano. Quem virum mihi narras: aſſentatorem fraudulentum, religionis contemptorem, & auctoribus Harmenopulo, Suida, atque Ant. Roſcio, lib. 1. memorab. cap. 14. ſordidiſſimum iuris nundinatorem. Verùm nunc non id agimus, an Labeonis ſententia lex ſit, nec ne: ſcio illam probatam ab Vlpiano in l. 1. ff. de dolo. Ego autem his hominum legibus vt fatear cogi poſſum, vt aſſentiar non poſſum: qui mihi iam dudum perſuaſerim, quod Lactantius lib. 5.

diuin.inſtit.c.11.ait, & conſtitutiones ſacrilegæ, & diſputationes iuriſperitorum leguntur iniuſtæ: veriſſimaq́; ſcriptum à Cicerone exiſtimo lib.1.de legib. ſtultiſſimum eſſe exiſtimare, omnia iuſta eſſe, quæ ſcita ſint in populorum inſtitutis, aut legibus. Itaque illud potius à nobis tractandum eſt, quæ harum opinionum vera ſit. Et quidem quibus argumentis à Labeone Sulpitius ſit reprehenſus, magna eſt diſcordia inter iuris interpretes. Nam Frãciſcus Hotomanus in Verrinarũ cõmentarijs, et lib.1. obſeruat. c.19. & Ludouicus Ruſardus in notis perpetuis ad ius ciuile, nimiam breuitatem Aquilij atq; Sulpitij in definiẽdo, à Labeone reprehẽſam putant, corruptamq́; eſſe legem primam ff. de dolo mal. affirmant, ſicq; legendam eſſe: dolũ malum Seruius quidem ita definit, cùm aliud agitur aliud ſimulatur, *totumq; illum verſum,* machinationem quandam, alterius decipiendi cauſa, *nõ à Ser. Sulpitio adiectum, ſed ab ſtudioſo quodam ex ſubiecta Labeonis definitione ſumptum ac notatum fuiſſe. Cuius rei, hæc potiſſimum afferunt argumenta. Primum, quòd à M. Tullio, C. Aquilij, et Ser. Sulpitij familiariſſimo doli mali definitio, his ſolummodo verbis referatur. Alterũ*

argu-

argumentum eſt, quia ſi Seruius dixiſſet dolum malum eſſe omnem machinationem alterius decipiendi gratia, ſine cauſa & planè ridiculè à Labeone reprehenderetur, cùm verboſa & exaggereta Labeonis deſcriptio, nihil aliud quàm illa breuis, & concinna Seruij definitio complectatur. Poſtremum argumentum eſt, quia ſi his verbis Sulpitius vſus eſſet, ob id quod in poſtrema definitione ſubieciſſet, reprehendi non poſſet: cùm nemo ignoret, ea quæ in extrema definitione ſint poſita, vel ad rei ſubſtantiam, non magnopere pertinere, vel ex antecedentium ratione intelligenda eſſe. Atque hæc quidem Hotomanus. Verùm Iacobus Cuiacius in comment. ad titulum de dolo malo, aliter euenire multò intelligit, & redundantem Sulpitij ac ſuperfluentem definitionem à Labeone repreſſam autumat: rectam definitionem, dolum malum machinationem eſſe alterius decipiendi cauſa, illo additamento corrumpi, cùm aliud agitur, aliud ſimulatur. Fallaciam eſſe cùm aliud agitur, aliud ſimulatur: at non omnem fallaciam dolum eſſe. Diuerſam ab ijs rationem tradidere Alciatus lib. 6. Parad. c. 9. & Petrus Gamarus lib. 1. Dialecticæ legalis, qui

cùm aduerſus Angelum, Alexandrũ, Aretinum ac Decium, probaſſent, non eſſe eam definitionem ſuſtinendam, quæ non omnes caſus comprehendat, ſed regulæ tantùm adhæræt, atque generalia complectatur: eo capite Ser. Sulpitium à Labeone dicunt reprehenſum, quòd eius doli mali definitio, cum definito non conuertatur, contineatq́; tantum ea, quæ frequentius accidunt. Ego verò, vt verum fatear, cur hi de hac re tandiu ſe torqueant ignoro. Cur enim Labeoni hæc Sulpitij definitio nõ probetur, in medio poſitum & apertum eſt ab Vlpiano iureconſulto dum ait. Dolum malum Seruius quidem ita definit, machinationẽ quandam alterius decipiendi cauſa, cùm aliud ſimulatur, & aliud agitur. Labeo autem poſſe & ſine ſimulatione id agi, vt quis circũuenia tur, poſſe & ſine dolo malo, aliud agi, aliud ſimulari. *Duplici igitur nomine Seruiana definitio à Labeone confutatur. Primum quòd circunuentionum, deceptionumque promptuarium, ſimulationem putauerit: cùm fieri poſſit, vt ſine ſimulatione quis circunueniatur: alterum quòd in ſimulatione, dolum malum contineri tradiderit, cùm tamen & ſine dolo malo, aliud agi poſſit, aliud ſimulari.*

mulari. O ieiunam & frigidam calumniam, ſanctiſſimæ ciuilis ſapientiæ ſacerdote indignam. Poteſt, *inquit*, & ſine dolo malo aliud agi, aliud ſimulari, ſicuti faciunt, qui per eiuſmodi diſſimulationem deſeruiunt, & tuẽtur vel ſua vel aliena. *Video proboq́; & nimirum id fuit quod cũ Dauid valdè ſibi timeret à facie Achis regis Geth, inſaniam ſimulans, immutauit os ſuum coram Achis. 1. Reg. 21. & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in oſtia portæ, defluebantque ſaliuæ eius in barbam. Sic & Rachel, & patris & mariti iram reformidans; cùm idola abſcondiſſet ſubter ſtramenta cameli, & ſediſſet deſuper, ne patri omne tentorium ſcrutanti aſſurgeret, iuxta conſuetudinem fœminarum ſibi accidiſſe ſimulauit. Gen. 31. Sic & diuus Petrus princeps apoſtolorum cùm eſſet Antiochiæ, ſimulauit ſe obſeruare legalia, non vt iugum ſuper ceruices credentium imponeret, ſed vt eis conſuleret, qui ex circunciſione crediderant, quibus potiſſimum datus erat apoſtolus. Verùm hæc, Labeonis ſententiam non adiuuant: non enim quancunque ſimulationem Seruius dolum malũ eſſe dixit, aut Aquilius intellixit, ſed eam quæ ad decipiendum*

Accurſio putat, negãs eum qui eripit, alterum circunuenire. Ego Accurſij ſententiam probari poſſe video tali argumentatione. Rapina nulla ſimulatione, ſed apertis tibijs exercetur, & tamen ita competit hæc actio, ſi dolo malo quis rapuerit, vt in.§ ita tamen inſtit: de vi. bon. rap. dicitur. Igitur dolus malus ſimulatione non continetur. Quare ſi Accurſij ſententia reijcienda eſt, ſimulationem, circunuentionemque in rapina probare neceſſe eſt. Quæ ſi doli mali ſunt partes, vt certè ſunt, in rapina quoque erunt omnino. Itaq; ex illa argumentatione propoſitionem negamus, in rapina nullam ſimulationem ineſſe. Imo quod minimè putat, id maximè raptor diſſimulat: iure ſe agere, licere omni lege rem ſuam, eo modo à quocunque extorquere: id dum faciat, nemini ſe iniuriam inferre. Quid enim ſi nihil ſimulet, ſed ſerio agat, id ſibi credens licere, teneretur ne actione vi bonorum raptorum? placitum ipſum imperatorium referam. Ita competit hæc actio, *inquit*, ſi dolo malo quis rapuerit. Nam qui aliquo errore ductus, rem ſuam eſſe exiſtimans, & imprudens iuris, eo animo rapuerit, quaſi domino liceat, etiam per vim rem ſuam auferre

 à poſſeſſo-

à poſſeſſoribus,abſolui debet. *Audis dolũ malum? audis non illum labi imprudentem? ſed cùm ſciat ſe iniuſtè agere,ita tamen agere,quaſi iure agat? Viden alterum huius dolo depreſſum, circunuentum, ſpoliatum? Nam quanuis aliter diualibus conſtitutionibus pro hac parte proſpectum ſit, vt nemini liceat vi rapere, licet ſuam eandem rem exiſtimet: non id decretum eſt, quòd non ea ſit rapinæ natura, quam expoſuimus: ſed vt ipſe Iuſtinianus ait,* ne dum talia excogitantur, inueniatur via, per quam raptores impune ſuam exerceant auaritiam. *Et in.l.vnica. C. de rapt.virg.* Hoc ipſum, *inquit*, velle mulierum, ab inſidijs nequiſsimi hominis, qui meditatur rapinam,inducitur. Niſi enim eam ſollicitauerit, niſi odioſis artibus circunuenerit, non facit eam velle in tantũ dedecus ſeſe ꝓrodere. *His igitur gloſſæ exemplis non modo poſſe quem,ſine ſimulationẽ circunueniri, nõ probatur, ſed ibi altiſsimam eſſe ſimulationem, vbi minimè appareat,ſit manifeſtum. Neq; ſatis percipio quò ſenſu Labeo potuerit ſcribere,fieri poſſe ſine ſimulatione, vt quis circunueniatur. Nam vt illud omittam Plauti in Captiuis, Act.2. ſcen.1. doli*

doli

doli non ſunt niſi aſtu colas. Chremes apud Terentium in Eunucho Act. 3. ſcen. 3. ex Thaidis ambagibus ac technis captari ſe, & irretiri conijcit. Roget quis quid tibi cum illa? ne norã quidem. Vbi veni, cauſam, vt ibi manerem, reperit: ait rem diuinam feciſſe, & rem ſeriã velle agere mecum. Iam tum erat ſuſpicio dolo malo hæc fieri omnia. Ipſa accumbere mecum, mihi ſeſe dare, ſermonem quærere. Vbi friget, huc euaſit: quàm pridem pater mihi & mater mortui eſſent: dico iã diu. Rus Sunij ecquod habeam, & quàm longè à mari. Credo ei placere, hoc ſperat ſe à me auellere. Et in Adelph. act. 3. ſcen. 3. Syrus ait. Eſt Herclè inepta, ne dicam dolo, atque abſurda. Ideſt ne mentiar, ne ex cõtrario dicere videar. Et apud Virgilium Laocon dum ait. O miſeri quæ tanta inſania ciues? creditis auectos hoſtes, aut vlla putatis dona carere dolis Danaũ? quos dicat dolos ſubindicat inquiẽs, aut hoc incluſi ligno occultantur Achiui, aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros, aut aliquis latet error. Sed & illud quoque ad hanc cauſam non leue præiudicium eſt, quòd veteres doli mali ſymbolum laqueum ponebant: quòd in occulto tendantur inſidiæ, laqueique, vt Pierius

Valerianus

Valerianus eſt auctor, lib. 48. de ſacris Ægiptiorum literis, & lib. 16. terreſtrem ſcorpium, doli hieroglyphicum eſſe ait: ob id nimirum quòd vt eſt apud Sophoclem, & Nicandrum, occultè ſub omni lapide inſidiari ſolet. Vtrum igitur hactenus de de his rebus ſatis eſt? tibi quidem eruditiſſimo viro, atque acutiſſimo exiſtimo. Verum & alijs apertiſſimis fundamentis, probare hoc ipſum tentabo. Ac primum dolum ſimulatione cotineri, ipſum doli nomen oſtendit, quod à δόλω verbo græco, id eſt fallo, ac decipio deductum Joannes Viſorius probat. Undè dolon, in. l. ſi ex plagijs. §. tabernarius. ff. ad. l. Aq. ita enim legendum eſſe, ex Tranquillo, Seruio, & Beroaldo, probant Budæus atque Briſſonius. Eſt autem dolon, flagellum, intra cuius virgam latet pugio, à dolo dictum, quòd decipiat ferro, cùm ſpeciem ligni præferat. Deinde, ſi verum eſt, vt certè eſt, nullum dolum vindicari niſi eum, in quo ſit & fraus, vt probatum eſt à Connano lib. 5. comment. iuris ciu. & Brecheo in. l. aliud eſt fraus. ff. de verb. ſig. ſatis conſtat, fraudem cõmentis, ſimulationibus & impoſturis conſtare. Semper autem dolo, fraudem ineſſe, idem fatetur Ulpianus

in. l.

in.l.iuriſgentium.§.ſed ſi fraudandi.ff. de pactis, igitur dolus ſimulatione continetur. Præterea ſi, vt vulgò dici ſolet, nec volenti iniuria, nec videnti dolus infertur, qui non ex inſidijs petitur, ſed aperto marte, fruſtra de dolo queritur. Referam quid de hac re Diocletianus & Maximianus Augusti Impp. Cyrilo & Ptolemaidi reſcripſerint in. l. cum donationis. C. de tranſact. Cùm donationis ſeu tranſactionis cauſa adminiſtratæ tutelæ debiti ſcientes vos obligationem fratri veſtro remiſiſſe proponatis, nec vnquam volẽtibus dolus inferatur, fruſtra de dolo quærimini. Nec ad implẽdũ promiſſum hęreditatis propriæ, pollicitatione quiſquam adſtringitur. *Nec obſtat quod quandoq; et ſi nihil dolo partiũ ſit actum, actio de dolo cõpetit, vt in. l. ſi quis cùm aliter. ff. de verb. oblig. cuius ſpecies in hanc ſententiã proponi poteſt. Si inter me & te cõuenit, me obligatũ iri dare tibi centũ aureos ſi ante (al. Sept. claſsis ex noua Hiſpania appulerit, deinde quod mihi perſuaſeris appuliſſe iam claſſem, cõditio in obligatione prætermiſſa ſit, cõpetit mihi aduerſum te doli exceptio. Ideq; dicendum eſt, ſi nõ tua fraude cõditio ſit prætermiſſa, ſed quod ambo falſò crediderimus*

naues

naues iam eſſe in portu. Ecce dolus ſine partium ſimulatione. Ita eſt profectò: ſed ego cum aſſero dolum eſſe, cùm aliud agitur, aliud ſimulatur, non dico dolum eſſe cùm actor aliud ſimulauerit, aliud egerit, aut reus. Sed dolum committi cùm aliud ſit actum, aliud ſimulatum. Cæterum non in contrahentibus ſolùm dolũ eſſe, ſed & in re ipſa, iureconſulti nos docent, vt et ex ipſius legis verbis liquidò conſtat, quæ ſunt huiuſmodi. Si quis cum aliter eum conueniſſet obligari, aliter per machinationem obligatus eſt, erit quidem ſubtilitate iuris obſtrictus: ſed doli exceptione vti poteſt. Quia enim per dolum obligatus eſt, cõpetit ei exceptio. Idem eſt & ſi nullus dolus intercesſit ſtipulãtis, ſed ipſa res in ſe dolum habet, cùm. n. quis petat ex ea ſtipulatione, hoc ipſo dolo facit, quod petit. *Atq; hoc idem eſſe exiſtimo quod iuriſcõſultus ait, in. l. exceptiones. §. fin. ff. de except.* Idem dicitur & ſi pro filio familias cõtra ſenatuſconſultum quis fideiuſſerit, aut pro minore vigintiquinqne annis circunſcripto. Quod ſi deceptus ſit in re, tũ nec ipſe ante habet auxilium, quàm reſtitutus fuerit, nec fideiuſſori danda eſt exceptio. *Ita enim legendum*

dum & Accurſius innuit & probat Ant. Augu ſtinus: quod non cernentes Holoander & alij, ſcripſerāt, quod ſi deceptus ſit iure. *Dolū autem in re eſſe, ſic ego (niſi fallor) accipio, quando falſis, rumoribus, leuibuſq; coniecturis aliud ſuadentibus quàm quod verum ſit, creduli homines id efficiūt, quod niſi fallerentur, non eſſent acturi. Atque hæc quidem de doli mali definitione ſint ſatis. Si enim de genere harum definitionum, deq; earum ſingulis verbis, nobis tractandum eſſet, finem diſputatio nō haberet. Sulpitij definitionē ex materia & forma conſtare Apellus ſcribit, in methodica dialectices ratione ad ius ciuile accōmodata cap. 1. Verba aūt illa ex Labeonis definitione, calliditas, facilia, machinatio, explicat Alciatus in. l. aliud eſt fraus. ff. de verb. ſig. Quia verò non ſolùm in contractibus, ſed & in iudicijs ac delictis, dolus ſolet interuenire, vt probat Loriotus in. l. quod Nerua. ff. depoſiti multiplex eſſe ſolet eius apud iuriſconſultos conſideratio. Dolū enim alium bonum eſſe, aliū malū et l. 1. §. nō fuit. ff. de dolo docemur: et docuere Gellius lib. 12. noct. att. c. 9. Diu⁹ Auguſtinus tom. 2. ep. 29 ad diuum Hieronimū. Valla. lib. 1. dialecticæ. c. 10. Alci. reg. 3. præſump. 27. Briſſoni⁹ atq; Hot[illegible]⁹*

de verbo-

de verborum,quæ ad ius pertinent ſignificatione. Rurſus aliud eſſe in dolo præterito, quod remitti poteſt,aliud in dolo futuro,quod remitti nõ poteſt Alciatus ait in l.actione.C.de trãſact.et in.l.ſi quis in conſcribendo.C.de pactis,& dicit eſſe cõmunem opinionem Oroſcius,in. l. nulla pactione. ff. de pactis. Præterea aliud ſi dolus dederit cauſam cõtractui,vel non dederit,vt admonent Duarenus in. l. ſi quis cùm aliter. ff. de verb. obli. Oroſcius in. l. ſi cùm te,& in.l.dolo malo.ff de pactis. Coraſius in.l. actione.C.de tranſact.& lib.2. Miſcell.c.8. Deinde aliud ſi dolus interueniat in contractibus bonæ fidei,aliud in contractibus ſtricti iuris:hos enim exceptione reſcindi,illos à principio nullos eſſe Duarenus ſcribit in d.l.ſi quis cùm aliter. Poſtremò nõ idem eſſe in dolo præſumpto,quod in dolo vero,probat Coraſius lib.4. Miſcell.c.1. In omnibus autem his ſpeciebus an is dolus ſit,qui cautũ hominẽ prudentẽq; virũ poſſet decipere,conſiderandum Coraſius cẽſet,in.d.l.ſi quis cum aliter, Alciatus cõtra in.l.cùm poſtea.C.de pactis,& in.l.interpoſitas. C. de tranſactionibus, conſiderandum non cenſet.

FINIS.